KALENDARIUM PERPETUUM

PRO CLERO

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS VERNA

FEBRUARIUS

7 S Romualdi Abb., *duplex.*
8 S. Joannis de Matha Conf., *duplex.*
9 * S. Ansberti Ep. et Conf., *duplex.* Com. S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct., *(duplex)* ac S. Appolloniæ Virg. et Mart.
10 S. Scholasticæ Virg., *duplex.*
11 Apparitio B. Mariæ Virg. Immaculatæ, *duplex majus.*
12 Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., Cc., *duplex.*
13
14 S. Valentini Presbyteri et Mart., *simplex.*
15 Ss. Faustini et Jovitæ Mm., *simplex.*
16 * S. Julianæ Virg. et Mart., *semiduplex.*
17
18 S. Simeonis Ep. et Mart., *simplex.*
19
20
21
22 Cathedra S. Petri Ap. Antiochiæ, *dupl. maj.* Com. S. Pauli Ap.
23 S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.* Com. Vigiliæ.
24 S. MATTHIÆ AP., *duplex II classis.*
25
26
27 * S. Honorinæ Virg. et Mart., *duplex.* Com. S. Gabrielis a
28 Virgine Perdolente Conf., *(duplex).*

In anno bissextili mensis Februarius est dierum 29, et Festum S. Matthiæ celebratur die 25, ac Festum S. Honorinæ die 28 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24 et die 25; et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut, si in Januario littera Dominicalis fuerit A, mutetur in præcedentem, quæ est g, etc.; et littera f bis servit, 24 et 25.

Scanné avec CamScanner

MARTIUS

1
2
3
4 S. Casimiri Conf., *semiduplex*. Com. S. Lucii I Papæ et Mart.
5
6 Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm., *duplex*.
7 S. Thomæ de Aquino Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
8 S. Joannis de Deo Conf., *duplex*.
9 S. Franciscæ Romanæ Vid., *duplex*.
10 Ss. Quadraginta Martyrum, *semiduplex*.
11
12 S. Gregorii I Papæ, Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
13
14 * S. Leobini Ep. Carnutensis et Conf., *semiduplex*.
15
16
17 S. Patricii Ep. et Conf., *duplex*.
18 S. Cyrilli Ep. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
19 S. JOSEPH, SPONSI B. M. V., Conf., *duplex I classis*.
20 * S. Vulframni Ep. et Conf., *duplex*.
21 S. Benedicti Abb., *duplex majus*.
22
23
24 S. Gabrielis Archangeli, *duplex majus*.
25 ANNUNTIATIO B. MARIÆ VIRG., *duplex I classis*.
26
27 S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
28 S. Joannis a Capistrano Conf., *semiduplex*.
29
30 * S. Reguli Ep. et Conf., *duplex*.
31

Feria VI post Dom. Passionis — Septem Dolorum B. M. V., *duplex majus*. Com. Feriæ.

APRILIS

1
2 S. Francisci de Paula Conf., *duplex*.
3
4 S. Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
5 S. Vincentii Ferrerii Conf., *duplex*.
6 * S. Gulielmi Abb., *semiduplex*.
7
8 * S. Galterii Abb. Pontisarensis, *duplex*.
9 * S. Gaucherii Conf., *duplex*.
10
11 S. Leonis I Papæ, Conf. et Eccl. Doct., *duplex*.
12

Scanné avec CamScanner

13 S. Hermenegildi Mart., *semiduplex.*
14 S. Justini Mart., *duplex.* Com. Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
15
16
17 S. Aniceti Papæ et Mart., *simplex.*
18 * B. Mariæ ab Incarnatione Viduæ, *duplex.*
19
20
21 S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
22 Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm., *semiduplex.*
23 S. Georgii Mart., *semiduplex.*
24 S. Fidelis a Sigmaringa Mart., *duplex.*
25 S. Marci Ev., *duplex II classis.*
26 Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm., *semiduplex.*
27 S. Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
28 S. Pauli a Cruce Conf., *duplex.* Com. S. Vitalis Mart.
29 S. Petri Mart., *duplex.*
30 * S. Adjutoris Conf., *duplex.* Com. S. Catharinæ Senensis Virg., *(duplex).*

Feria IV infra Hebdomadam II post Octavam Paschæ — SOLEMNITAS S. JOSEPH, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf. et Ecclesiæ universalis Patroni, *duplex I classis* cum Octava communi.

Feria IV infra Hebdomadam III post Octavam Paschæ — Octava S. Joseph, *duplex majus.*

MAJUS

1 Ss. Philippi et Jacobi App., *duplex II classis.*
2 S. Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
3 Inventio S. Crucis, *duplex II classis.* Com. Ss. Alexandri I Papæ et Sociorum Mm., ac Juvenalis Ep. et Conf.
4 S. Monicæ Vid., *duplex.*
5 S. Pii V Papæ et Conf., *duplex.*
6 S. Joannis Ap. et Ev. ante Portam Latinam, *duplex majus.*
7 * S. Maximæ Virg. et Mart., *duplex.* Com. S. Stanislai Ep. et Mart., *(duplex).*
8 Apparitio S. Michaëlis Archangeli, *duplex majus.* Com. * S. Petri Tarentasii Ep. et Conf.
9 S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
10 S. Antonini Ep. et Conf., *duplex.* Com. Ss. Gordiani et Epimachi Mm.
11 * S. Gulielmi Pontisarensis, Conf., *semiduplex.*
12 Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. ac Pancratii Mm., *semid.*
13 S. Roberti Bellarmino Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
14 * S. Eremberti Ep. et Conf., *duplex.* Com. S. Bonifatii Mart.
15 S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf., *duplex.*

Scanné avec CamScanner

16 S. Ubaldi Ep. et Conf., *semiduplex.*
17 S. Paschalis Baylon Conf., *duplex.*
18 S. Venantii Mart., *duplex.*
19 S. Petri Cælestini Papæ et Conf., *duplex.* Com. S. Pudentianæ Virg.
20 S. Bernardini Senensis Conf., *semiduplex.*
21
22
23
24
25 S. Gregorii VII Papæ et Conf., *duplex.* Com. S. Urbani I Papæ et Mart.
26 S. Philippi Nerii Conf., *duplex.* Com. S. Eleutherii Papæ et Mart.
27 S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct., *duplex.* Com. S. Joannis I Papæ et Mart.
28 * S. Germani Ep. Parisiensis et Conf., *duplex.* Com. S. Augustini Ep. et Conf., *(duplex).*
29 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., *semiduplex.*
30 * S. Joannæ Arcensis Virg., Patronæ minus principalis Galliæ, *duplex II classis.* Com. S. Felicis I Papæ et Martyris.
31 * B. M. V. omnium Gratiarum Mediatricis, *duplex majus.* Com. S. Angelæ Mericiæ Virg., *(duplex)*, et * Ss. Cantiani et Sociorum Mm., ac S. Petronillæ Virg.

JUNIUS

1 * S. Probatii Conf., *simplex.*
2 Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Ep. Mm., *simplex.*
3 * S. Clotildis Reginæ, Viduæ, *duplex.*
4 S. Francisci Caracciolo Conf., *duplex.*
5 S. Bonifatii Ep. et Mart., *duplex.*
6 S. Norberti Ep. et Conf., *duplex.*
7 * B. Annæ a S. Bartholomæo Virg., *simplex.*
8
9 Ss. Primi et Feliciani Mm., *simplex.*
10 S. Margaritæ Reginæ, Vid., *semiduplex.*
11 S. Barnabæ Ap., *duplex majus.*
12 S. Joannis a S. Facundo Conf., *duplex.* Com. Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.
13 S. Antonii de Padua Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
14 S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct., *duplex.*
15 Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm., *simplex.*
16
17
18 S. Ephræm Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct., *duplex.* Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm.
19 S. Julianæ de Falconeriis Virg., *duplex.* Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.

Scanné avec CamScanner

OFFICIA PROPRIA

DIŒCESIS VERSALIENSIS

PARS VERNA

FESTA FEBRUARII

Die 9 Februarii

S. Ansberti

Episcopi et Confessoris

Duplex

In II Vesp. diei Dom. concurrentis, fit Comm. seq.

Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui beátum Ansbértum Pontíficem ad tibi caste, pie et patiénter serviéndum, ubéribus donis attraxísti : ejus, quæsumus, intercessióne concéde; ut casto corde tibi inviolabíliter adhæréntes, ætérnam milítiæ nostræ victóriam et prǽmium reportémus. Qui vivis.

Deinde Commem. S. Cyrilli :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Cyrílle, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui beátum Cyríllum Confessórem tuum atque Pontíficem divínæ maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ assertórem invíctum effecísti : concéde, ipso intercedénte; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, matérna ejúsdem protectióne salvémur. (Per eúmdem Dóminum.)

Scanné avec CamScanner

Et fit Commem. S. Joannis de Matha Conf. :

Ant. Hic vir, despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur justítiam.

Oratio

DEus, qui per sanctum Joánnem órdinem sanctíssimæ Trinitátis ad rediméndum de potestáte Saracenórum captívos cælitus institúere dignátus es : præsta, quæsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, a captivitáte córporis et ánimæ, te adjuvánte, liberémur. (Per Dóminum.)

Postea fit Commemoratio S. Apolloniæ Virginis et Martyris :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ miracula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Fidélis Sermo, de Communi Conf. Pont. I loco.

In II Nocturno

Lectio iv

ANsbértus Calcéii apud Velocásses patre Sivíno natus, in divínis et humánis lítteris a puerítia multum profécit. Grátia intus movénte, Deo vovit castitátem : quaprópter Angadrísmæ vírgini cum fuísset desponsátus, effúsis ad Deum simul cum ipsa précibus, obtínuit ut sponsálium fides solverétur. In aulam Clotárii tértii ductus a patre, referendárii munus annulíque régii curam accépit; sed mox rebus sæculáribus abjéctis, se cóntulit ad monastérium Fontanellénse, nuper a Sancto Vandregisíllo cónditum, ibíque cæterórum factus exémplar, júdice ábbate, dignus fuit qui présbyter a beáto Audoéno ordinarétur. Carnis ínterim macerándæ stúdio postulávit, nóbilis licet, ut óperi mánuum quotidiáno ultra sólitum labórem sibi licéret insístere; dumque in víneis operarétur secus monastérium, Theodoríco venánti regnum post mul-

Scanné avec CamScanner

tas tribulatiónes occupándum prædíxit.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

CUM beátus Lambértus, Angadrísmæ propínquus, ad Lugdunénsem Cáthedram evéctus fuísset, in ipsíus locum abbas Fontanéllæ sufféctus est Ansbértus. Pósitus super candélabrum, doctrína virtutibúsque ita præfúlsit, ut úndique multi tum ad salútem sub tanto duce perficiéndam, tum ad ejus requirénda consília afflúerent. Aliénis necessitátibus compátiens, xenodóchium intra cœnóbii claustra parávit in quo senes et infírmi a mónachis curaréntur. Clippiáci prope Lutétiam, a Sancto Audoéno moriénte postulátus est succéssor, et a Lambérto consecrátus. Ex hinc nulla caritátis aut religiónis prætermísit exémpla : assíduus in prædicándo, largus in tribuéndo, in restauránda disciplína indeféssus, censum Epíscopo juxta cánones solvéndum libénter dimittébat presbýteris ad ornándas ecclésias. Paupéribus gaudébat própriis mánibus ministráre et eos sæpe cónvivas adhibébat. His et áliis opéribus ita refúlsit, ut non modo créditam sibi provínciam, sed totas pœne Gállias suæ sanctitátis laude recreáverit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

PIppino Heristalénsi ab æmulis delátus, in Hannóniam, ad Altimontense monastérium, cum amíco suo sancto Gennárdo Presbýtero exulávit. Ibi postquam longos exílii mœróres, in sacris stúdiis, et monásticis disciplínis, patiénter sustinuísset, tandem probáta innocéntia, redeúndi ad suos impetrávit facultátem. Dum autem optáti réditus gáudia prælibáret, própera morte raptus est die nona Februárii, anno sexcentésimo nonagésimo quinto. Cujus corpus pontificálibus ornátum, comitántibus usque Venétam Bellovacórum Altimontensibus mónachis, indéque præsúlibus et cléricis

Scanné avec CamScanner

Neústriæ, Fontanéllam, uti rogáverat, relátum est. In vico autem agri Belvacénsis nómine Fraxinédo, múlier a dæmone jam diu vexáta, cum ad ipsíus féretrum fiduciáliter accessísset, statim conváluit; unde sacéllum íbidem in beáti Ansbérti honóre constrúctum est, quod signis multis cláruit.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Communi 2 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DOmine Jesu Christe, qui beátum Ansbértum Pontíficem ad tibi caste, pie et patiénter serviéndum, ubéribus donis attraxísti : ejus, quæsumus, intercessióne concéde; ut casto corde tibi inviolabíliter adhæréntes, ætérnam milítiæ nostræ victóriam et præmium reportémus. Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Cyrilli :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Cyrílle, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui beátum Cyríllum Confessórem tuum atque Pontíficem divínæ maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ assertórem invíctum effecísti : concéde, ipso intercedénte; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, matérna ejúsdem protectióne salvémur. (Per eúmdem Dóminum.)

Deinde, post Commemorationem Feriæ, Commemoratio S. Apolloniæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Scanné avec CamScanner

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio

DEus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Apollóniæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Deinde Commem. S. Cyrilli :

Ant. O Doctor óptime, ut supra.

℣. Amávit eum.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Postea Commem. Feriæ.

Die 16 Februarii

S. Julianæ

Virginis et Martyris

Semiduplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Ad Magnif. Ant. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Juliána, Virgo et Martyr, implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

In I Nocturno Lectiones, Confitébor tibi, de Communi Virg. et Mart. 2 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

IMperánte Maximiáno, quarto post Christum natum sæculo, nóbili génere orta cláruit beáta Juliána. Evilásius urbis Nicomédiæ præféctus, eam cúpiens sibi connúbio júngere, nihil non movit ut castum vírginis pectus tentáret : ádhibet múnera, blanditias, verba mollióra. Núptias vero réspuit addícta Christo puélla. Spretus amor in iras exardéscit. Jubet præféctus tenéllum vírginis corpus diris lacerári táureis et flagéllis, per crines suspéndi, férreas láminas igne ardéntes costis applicári, et eam

Scanné avec CamScanner

póstea in flammátam fornácem déjici. Viris fórtior beáta Martyr constántia súperat torménta. Tandem victus præses cito caput mandat amputári. Sic, amíssa vita temporáli, glóriam asséquitur Juliána immortálem.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

CORpus sacrátæ Mártyris Sophónia vel Sóphia venerábilis matróna romána, senatóris cujúsdam uxor, prétio acquisívit ut secum Romam afférret. Sed, tempestáte exórta, Putéolum jactáta est navis et íbidem corpus Juliánæ primum cónditum est in oratório superstrúcto. Quo póstea secúrius relíquiæ sacræ protegeréntur, Cumas allátæ sunt, et quum Cumæ ipsæ a cópiis Neapolitánis vastaréntur, Neápolim tandem cum ingénti pompa et populórum concúrsu sunt translátæ. Sub rege Siciliárum Cárolo, fratre Sancti Ludovíci et Cómite Andegavénsi, ad satisfaciéndum votis et pietáti plurimórum distribútæ sunt, præsértim regi Fránciæ. Exínde reliquiólam ecclésia Longi-Pontis accépit, ubi devotíssime cólitur. Vico autem Valli Sancti Germáni dicto peculiáris honor affúlsit : miles scílicet, viátor, ut fert tradítio, cui data fúerat non minor pars calvæ, in gravem morbum incíderat; pollícitus ille, si convalésceret, relíquiam vico se donatúrum, sanitáte restitúta, non solum hanc donávit, sed étiam ecclésiam partim reædificávit.

℟. Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

QUanta benevoléntia apud Deum gáudeat nostra virgo, in ecclésiis et Longi-Pontis et præcípue Vallis Sancti Germáni patet, tum ex multis spiritáli et corporáli morbo laborántibus, qui sanitátem recuperárunt, tum ex muliéribus, qui félicem partum obtinuérunt. Et frequéntes sunt fidéles, qui non solum e regióne Durdanénsi, sed étiam ex divérsis paróchiis Pari-

Scanné avec CamScanner

siénsis et Meldénsis et Carnuténsis et Versaliénsis diœcésium, necnon ex longinquíssimis Gálliæ úrbibus hoc sanctuárium ádeunt, ad impetrándum Juliánæ subsídium.

℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III Nocturno Homilia in Evang. Accessérunt ad Jesum, de Communi 3 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

INdulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Juliána, Virgo et Martyr, implóret : quæ tibi grata semper éxstitit et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est.

Ad Magnif. Ant. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Die 27 Februarii

(vel 28 in anno biss.)

S. Honorinæ

Virginis et Martyris

Duplex

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

AUres tuæ pietátis, quæsumus, Dómine, précibus nostris inclína : ut qui delictórum nostrórum néxibus stríngimur, interveniénte beáta Honorína Vírgine et Mártyre tua, miseratiónis tuæ grátia liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Gabrielis a Virgine Perdolente, Confessoris :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit

Scanné avec CamScanner

domum suam supra petram.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.
℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DEus, qui beátum Gabriélem dulcíssimæ Matris tuæ dolóres assídue recólere docuísti, ac per illam sanctitátis et miraculórum glória sublimásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, ita Genitrícis tuæ consociári flétibus; ut matérna ejúsdem protectióne salvémur : (Qui vivis.)

Deinde Commem. Feriæ.

In I Nocturno Lectiones De Virgínibus, de Communi Virginum 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

HOnorína in parte Neústriæ, quæ nunc Normánnia dícitur, nata est. A téneris annis magno zelo et pietáte christiánam colébat religiónem. Exórta per Gállias contra christiános persecutióne, apprehénsa fuit a tyránnis et ante tríbunal trádita. Státuas venerári idólaque adoráre nolens, imo blasphémiam contra deos próferens, præsulis jussu, morte mulctáta est martyriúmque forti ánimo consummávit. Ejus venerábile corpus in vico cui Gerárdi-Villa vocábulum est, non longe a mari quo ínfluit Séquana, sepúltum est.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.
℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

TEmpore Cároli cognoménto Símplicis, metu Danórum, christiána gens aufúgiens, sanctórum relíquias, ne dehonestaréntur, secum déferens, divérsis per Fránciam hospitabátur in locis. In hoc témpore, beátæ Vírginis corpus per honoratórum clericórum manus, e sarcóphago elátum in pagum Parisiénsem apud Confluentiánum castrum, equo sustentánte, translátum est et in ecclésia beátæ Maríæ dicáta depósitum.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ.
℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

VIrginis mérita et virtútes non diu ignorárunt hujus regiónis ínco-

Scanné avec CamScanner

læ, tantæ et tam insígnes erant ægrotántium curatiónes, qui ad subsídium mártyris efflagitándum affluébant. Ita copiósa erat multitúdo, ut circa monastérium et per platéas memoráti castri non paucæ núndinæ exstrúctæ essent. Imo, tantum crescébat Sanctæ fama, et procul diffundebátur virtus, ut incarceráti ipsi compedítique férreis caténis, ad Dómini Nostri Jesu Christi et beátæ Honorínæ invocatiónem víncula solúta manicásque ruptas vidébant. Persæpius quidem, pro grátiis agéndis, in sacéllum beátæ Honorínæ plérique tormentórum instruménta deferébant. Hujus ecclésiæ Ivo, comes de Bellomónte supra Isaram, et Adélidis, uxor ejus, anno millésimo octogésimo, Abbáti Beccénsis monastérii, tunc Sancto Anselmo, et successóribus ejus régimen concessérunt. Post clades décimi octávi sæculi, in ecclésia parochiáli Sancto Maclóvo dedicáta asservátæ relíquiæ quamplúrime honorátæ et favéntes rémanent.

℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III Nocturno Homilia in Evang. Accessérunt, de Communi Virginum 3 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Oratio

AUres tuæ pietátis, quæsumus, Dómine, précibus nostris inclína : ut qui delictórum nostrórum néxibus stríngimur, interveniénte beáta Honorína Vírgine et Mártyre tua, miseratiónis tuæ grátia liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Gabrielis a Virgine Perdolente :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio Deus, qui beátum, ut supra.

Deinde Commem. Feriæ.

Scanné avec CamScanner

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. Ant. Veni, sponsa Christi, * áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Oratio

AUres tuæ pietátis, quæsumus, Dómine, précibus nostris inclína : ut qui delictórum nostrórum néxibus stríngimur, interveniénte beáta Honorína Vírgine et Mártyre tua, miseratiónis tuæ grátia liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Gabrielis a Virgine Perdolente :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

DEus, qui beátum Gabriélem dulcíssimæ Matris tuæ dolóres assídue recólere docuísti, ac per illam sanctitátis et miraculórum glória sublimásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, ita Genitrícis tuæ consociári flétibus; ut matérna ejúsdem protectióne salvémur : Qui vivis.

Deinde Commem. Feriæ.

FESTA MARTII

Die 14 Martii

S. Leobini

Episcopi et Confessoris

Semiduplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

DEus, qui ad pascéndum gregem tuum, beátum Leóbinum Pontíficem de grégibus óvium et de post fœtántes accepísti : concéde propítius; ut ejus muniámur précibus, cujus instrúimur mónitis et exémplis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

In I Nocturno Lectiones Fidélis Sermo, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

LEóbinus, húmili loco apud Pictávos natus, ruri pascéndis grégibus primum curam dedit. Mira discéndi aviditáte præditus, a

transeúnte quodam mónacho supplíciter popóscit ut sibi litterárum eleménta super cinctórium exprímeret. Cui lubens ille, inde quid fausti auspicátus, exarátos caractéres consignávit. Ita ánimum his infigéndis memóriæ figúris áddidit Leóbinus, ut, juvánte Deo, non solum vim litterárum fácile percéperit, sed étiam ad sciéntiæ sanctórum stúdia assúrgere potúerit. Perfectióris deínde vitæ desidério incénsus, ad próximum se recépit monastérium, ubi per octo annos diem oratióni et injúnctis a superióre curis, magnam vero noctis partem sacris lectiónibus impéndit. Póstea, suadénte Avíto, quem convénerat, plura peragrávit Gálliæ monastéria, et sanctitáte célebres viros ádiit, ut eórum vitæ ratiónem, et præcípuas virtútes in se transférret. Cóluit inter cæteros Sanctum Lupum Insulæ Bárbaræ prope Lugdúnum Abbátem, qui póstea Lugdunénsis Epíscopus fuit; et quinque annos sub ejus disciplína sanctíssime vixit.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

COntigit eo témpore ut, moto inter Francos et Burgúndos bello, monastérium a milítibus occuparétur; mónachis autem in fugam datis, solus ipse cum decrépito sene mansit Leóbinus, quem apprehénsum mílites dire cruciárunt, ac vulnéribus quasi enéctum reliquérunt; verum divína protegénte virtúte, servátus est. Ubi conváluit, ad Sanctum Avítum in Pértico ábbatem secéssit, a quo benígne excéptus, in ejus monastério cellerárii offício functus est. Sed, eo paulo post mórtuo, desértum pétiit, ibíque cum duóbus sóciis solitáriam vitam duxit. Brevi diffúsa sanctitátis ejus fama, plúrima édidit mirácula; ímprimis puéllam, in óppido Dunénsi, prope ecclésiam, quæ sub ejus invocatióne póstea dicáta fuit, ad vitam revocávit. His títulis Æthério Carnuténsi Epíscopo notus, ab ipso diáconus primum, deínde présbyter ordinátus, et monastério Braiacénsi præféctus est. Subésse magis quam præésse cúpiens, de relinquénda monastérii præfectúra, ut Li-

Scanné avec CamScanner

ríni privátus et ignótus víveret, sæpe deliberávit; verum a sancto Cæsário Arelaténsi Epíscopo, quem cum sancto Albíno Andegavénsi adíerat, corréptus, Braiácum remíssus est. Mórtuo tandem Æthério, ómnium máxime probórum suffrágiis, rénitens licet et invítus in ejus locum sufféctus est. Quod munus tam pie prudentérque gessit, ut cum quovis óptimo Antístite mérito possit compárari. Cum concílium Parisiénse adíret, Caprósiam tránsiens, inde Riogílum pétiit, ubi coram rege Childebérto hydrópicum virum sanávit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

DE consuéta vivéndi ratióne nihil ádmodum immutávit; sed vitæ monásticæ asperitátem sacerdotális offícii labóribus perpétuo conjúnxit. Potens in verbis et in opéribus, ad reparándam in Gálliis Ecclesiásticam disciplínam plúrimum cóntulit. Sedit in Concílio Aurelianénsi anno quingentésimo quinquagésimo primo. Demum effétus ætáte, fractus labóribus, et multis infirmitátibus patientíssime tolerátis, bonus pastor de Ecclésia, præsértim sua, bene méritus, anno círciter quingentésimo quinquagésimo séptimo migrávit ad Christum. Leóbini corpus terræ mandátum est in ecclésia sancti Martíni in Valle, prope Carnútum, ubi multis Deus túmulum ejus honestávit miráculis. Quamóbrem, post áliquot annos, idem corpus e terra levátum est. Cum autem in obsidióne urbis Carnuténsis hærétici perduélles ómnia vérterent, Sanctórum sepúlcra violárunt, sácraque Leóbini ossa igne consumpsérunt. Tamen sacrílegæ illórum indagatióni subtráctum est sancti Pontíficis caput, quod exínde usque ad finem últimi sæculi asservátum est in ecclésia Cathedráli; nunc autem in ecclésia Blesénsi depósitum cólitur. Hinc extrácta pars ejúsdem pretiosíssimi pígnoris honorificentíssime collocáta est in instauráta Carnuténsis ecclésiæ Crypta, juxta altáre quod ibídem sub invocatióne sancti Leóbini consecrátum est, anno millésimo octingentésimo sexagésimo.

Scanné avec CamScanner

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DEus, qui ad pascéndum gregem tuum, beátum Leóbinum Pontíficem de grégibus óvium et de post fœtántes accepísti : concéde propítius; ut ejus muniámur précibus, cujus instrúimur mónitis et exémplis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Die 20 Martii

S. Vulframni

Episcopi et Confessoris

Duplex

In II Vesperis S. Joseph fit Commemoratio sequentis :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Vulfrámni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. Feriæ.

In I Nocturno Lectiones Fidélis Sermo, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

In II Noeturno

Lectio iv

VUlfrámnus, Mauriliáci in Agro Vastinénsi natus patre Fulbérto, nóbili ac strénuo in bellis duce, pie a paréntibus erudítus, sacris ab adolescéntia lítteris imbútus, clericáli mili-

Scanné avec CamScanner

tiæ nomen dedit. A Clotário tértio et sancta Bathílde ejus matre in aulam accersítus, de sua vivéndi ratióne, inter áulicos constitútus, nihil remísit. Cum autem mirábili sanctitáte floréret, post óbitum Medérii et Landbérti, qui Senonénsem Ecclésiam, exsulánte sancto Amáto, successíve réxerant, ab omni Clero et pópulo Landbérto sufféctus est. Quo in múnere biénnio et ámplius summa cum laude transácto, Vulfrámnus Deo inspiránte ad annuntiándum Evangélium Frisónibus idolórum cúltui adhuc déditis ánimum convértit, et solémni abdicatióne episcopátu cessit, circa annum sexcentésimum octogésimum quintum, adhuc supérstite beáto Amáto. Successórem hábuit Géricum, virum génere illústrem.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

ABdicáto episcopátu, Vulfrámnus Ansbértum Rothomagénsem Epíscopum ádiit, virum divinárum rerum intelligéntia conspícuum, ut ei mentem suam aperíret de illustrándis fídei lúmine Frisónibus. Hinc in Fontanellénse monastérium secéssit, ubi cum aliquándiu oratióni vacásset, consílium íniit monásticam vitam profiténdi. Tum, annuénte Fontanellénsi Abbáte, assúmptis secum quibúsdam mónachis, in Frísiam iter aggréssus est; ubi multi tum nóbiles tum ignóbiles ipsíus prædicatiónibus et frequéntibus miráculis ad fidem Christi convérsi, bárbaros hóminum dæmóniis immolandórum ritus, et idóla pénitus abjecérunt. Explétis in hoc ministério quinque annis, ibíque relícto beáto Willebrórdo, qui opus incœptum ad optátum éxitum perdúceret, Fontanéllæ monastérium, quod nonnúllis possessiónibus áuxerat, repétiit; ubi cum quibúsdam discípulis suis monastérii régulæ se astrínxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

HOC in cœnóbio miraculórum dono, præsértim in curándis infír-

Scanné avec CamScanner

mis, enítuit, corpúsque suum jejúniis et cilício támdiu dómuit, donec sénio et labóribus conféctus, ánimam méritis cumulátam inter fratrum ampléxus reddidísset anno septingentésimo vigésimo, die vero vigésima Mártii, cum semel atque íterum ad Frísios in fide confirmándos remeásset. Ejus corpus in basílica Sancti Pauli sepultúræ tráditum est : et post várias huc illuc translatiónes, tum ad impetrándum a Deo ejus suffrágiis divínum auxílium, tum ad fugiéndas Normannórum incursiónes, tandem in monastérium Fontanéllæ, nunc Sancti Wandregisíli dictum, relátum est anno millésimo ducentésimo quinto; unde Abbavíllam translátum est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Homo péregre, de Communi Conf. Pont. 1 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Vulfrámni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit.

Deinde Comm. Feriæ.

Die 30 Martii

S. Reguli

Episcopi et Confessoris

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) ℟. Stolam glóriæ índuit eum. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et vir-

Scanné avec CamScanner

tútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum. (T. P. Allelúja.)

Oratio

DEus, qui, ad géntium illuminatiónem, beátum Régulum Pontíficem prædicatiónis evangélicæ glória decorásti : præsta; ut quos per ipsíus documénta esse donásti fidéles, meritórum imitatóres esse concédas. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi Lectiones : Fidélis sermo, de Communi Conf. Pont. I loco.

In II Noeturno

Lectio iv

REgulus, cum plúribus sóciis a Románo Pontífice in Gállias missus est, Evangélii prædicándi causa. Fertur Arelátæ constitútum Antístitem, Ecclésiam recéntem áliquot per annos pastoráli sollicitúdine rexísse ac dilatásse; divíno póstea nutu impúlsum in interióres Galliárum tractus, Parísios adiísse, ubi fidéles persecutióne fatigátos, Spíritu Sancto congregávit, verbo et exémplo recreávit, illis revocándo éxitum conversatiónis præpositórum sanctórum qui locúti fúerant verbum Dei, suóque sánguine effúso fortitúdinis memorábile exémplum déderant.

℟. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : * Intra in gáudium Dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. — Intra.

Lectio v

ULtra progrédiens Lúparæ Parisiórum fidem plantávit, ubi solémni étiam offício cólitur apostolátus illíus memória : célebre quoque in honórem Dei Genitrícis oratórium in hac regióne consecrávit. Silvanéctum deínde aggréssus, falsis numínibus indícto bello, calíginem infidelitátis circumquáque dépulit. Cum Christiános plures, qui tunc erant in vínculis, reseráto, divína virtúte cárcere, liberásset, et templum ingréssus ídola subvertísset, magna cívium multitúdo Christo nómina dedérunt et baptizáti sunt. Templum quod a dæmonum expurcítiis expiáverat Deo vero dedicásse légitur, et áliud extra portas, sub invocatióne Apostolórum Petri et Pauli.

Scanné avec CamScanner

℟. Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo : * Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. ℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. — Ideo.

Lectio vi

NEC intra castrum Silvanecténse evangélicus hæsit illíus zelus. Sylvas enim et rura vicína vicósque péragrans, et procul, sive ad prædicándum, sive ad inviséndum álios Evangélii præcónes, excúrrens, magnópere vir apostólicus Christi regnum amplificávit. Demum, multis patrátis miráculis, Christo aggregáta numerósa plebe et constitúto Clero, inter suórum preces et lácrymas ad destinátum beatitúdinis præmium migrávit die Mártii trigésima.

℟. Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum : * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo, sede a dextris meis. — Tu es sacérdos. Glória Patri. Tu es sacérdos.

In III Nocturno Homilia in Ev. Vigiláte, de Communi Conf. Pont. 2 loco.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. (T. P. Allelúja.)

Oratio

DEus, qui, ad géntium illuminatiónem, beátum Régulum Pontíficem prædicatiónis evangélicæ glória decorásti : præsta; ut quos per ipsíus documénta esse donásti fidéles, meritórum imitatóres esse concédas. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum. (T. P. Allelúja.)

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Scanné avec CamScanner

FESTA APRILIS

Die 6 Aprilis

S. Gulielmi

Abbatis Semiduplex

In II Vesperis S. Vincentii Ferrerii fit Commemoratio sequentis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.(T. P. Allelúja.)

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) ℟. Stolam glóriæ índuit eum. (T. P. Allelúja.)

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Guliélmi Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Justus, de Communi Conf. non Pont. 2 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

BEátus Guliélmus, Lutétiæ Parisiórum circa undécimi sæculi finem nóbili família natus, Hugóni venerábili viro, abbatíque Sangermáni, ut educarétur, a paréntibus tráditus est. Multis ab adolescéntia virtútibus cláruit et exímio inter coævos ingénio in liberálium ártium stúdiis excélluit. Vitam Deo consecrándi desidério exardéscens, Subdiaconátum accépit et póstea canonicátu apud ecclésiam Sanctæ Genovéfæ ad Montem insignítus est. Memor prístinæ inter mónachos hábitæ institutiónis, sæpius in claustro Sacrárum Scripturárum lectióni dabat óperam. Cæteris autem canónicis a disciplína ecclesiástica recedéntibus, ægre ferens quæ in mélius corrígere non póterat, apud Spinólium et Quintiánum (quæ nunc oppídula ádmodum vicína in diœcési Versaliénsi prope Braunátem in Brigéio exstant), pastorále munus suscépit, sed Spinólii mansit, quod paræcia nunc ecclésiæ Braunátis adjúncta, tunc Collégio canonicórum Sanctæ Genovéfæ subjiciebátur. Quo in múnere, diligentíssimi Pastóris functus est offíciis.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. (T. P. Allelúja.) ℣. Justum dedúxit

Scanné avec CamScanner

Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v

QUum in monastério Sanctæ Genovéfæ supra memoráto, disciplínæ restaurándæ grátia, canónici reguláres in sæculárium loco suffécti essent, Guliélmus dénuo in claustrum se recépit. Omnium consénsu Prior a frátribus renuntiátus, hábitu mutáto, novis virtútibus indútus appáruit, patiéntia atque humilitáte præcípuus. Custos pérvigil, collégii jura ut íntegra permanérent strénue laborávit. Dénique cum falso arguerétur relíquias Sanctæ Genovéfæ áliis relíquiis substituísse, pius mónachus, tali suspicióne commótus, ut sibi per flammas licéret incédere innocéntiæ suæ manifestándæ causa postulávit. ℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. (T. P. Allelúja.) ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

GRescénte ejus fama, a Valdemário Danórum rege rogátus est ut canonicórum regulárium mores reformáre tentáret. Quorum inconstántia dæmonísque vexátus insídiis, sed cæléstí recreátus auxílio, in monastério quod ædificáverat per quadragínta annos sanctíssime vixit. Sæpius tum Romæ, tum Lutétiæ legatióne fungens, multa negótia ad felícem éxitum mirabíliter duxit. Miraculórum dono ditátus, et de die mortis suæ in somnis a Sancta Genovéfa, quam semper studióse colúerat, admónitus, tandem méritis plenus, in nocte Domínicæ Resurrectiónis, quum ad illud responsórium offícii : « Ut venientes úngerent Jesum », óleo sancto ungerétur, migrávit ad Dóminum, octávo idus Aprilis, anno Dómini millésimo ducentésimo secúndo. Illum miráculis clarum Honórius tértius anno millésimo ducentésimo vigésimo quarto, Sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. (T. P. Allelúja.) ℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória. Quia.

Scanné avec CamScanner

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (T. P. Allelúja.)

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Guliélmi Abbátis comméndet : ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. (T. P. Allelúja.)

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Die 8 Aprilis

S. Galterii

Abbatis Pontisarensis

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) ℟. Stolam glóriæ índuit eum. (T. P. Allelúja.)

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. T. P. (Allelúja.)

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Galtérii Abbátis comméndet; ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Beátus, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

GAltérius seu Valtérius in Pago Vimacénsi, fínibus Ambianórum, ortum hábuit undécimo ineúnte sæculo. Quum a púero ingénuas artes coluísset, brevi témpore ádeo pro-

Scanné avec CamScanner

fécit, ut, licet júnior, alió-rum magíster eváserit. Verum a sæculi vanitátibus abhórrens et sanctió-ris vitæ desidério actus, célebre Meldénsis diœcésis monastérium adívit, ibíque in religiósa família adscítus, exímia virtútum ómnium édidit documénta. Imprímis ea fuit caritáte ut captívum quemdam liberáre non dubitáverit, quamvis se flagéllis ac vínculis mulctándum probe nosset. Quaprópter, sanctitátis ejus fama in dies percrebescénte, monastério Sancti Martíni Pontísaræ erécto, Abbas quamvis invítus præfícitur, summis religiosórum ómnium précibus a rege Philíppo impetrátus. Véritus tamen ne ullam simóniæ late tunc serpéntis noxam aut suspiciónem contráheret, dum novæ dignitátis insígnibus ornabátur, a Deo et non a rege se illa recípere palam declarávit.

℣. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. (T. P. Allelúja.) ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit illi claritátem ætérnam. (T. P. Allelúja.)

Lectio v

SAncti Benedícti régulam profé́ssus, verbo et exémplo subditórum factus forma, commíssum sibi aliórum régimen ægre ferens, in Abbátiam Cluniacénsem, cui præerat Sanctus Hugo, clam secéssit. Verum diu latére non pótuit, nam doctrínæ ac meritórum præstántia detéctus, Pontisáram remigráre cógitur auctoritáte Rothomagénsis Archiepíscopi, in cujus ditióne per ea témpora Monastérium Sancti Martíni continebátur. Novam intérea humíllimus Abbas fugam meditátus, in ínsulam Turónibus próximam se cóntulit. Sed rursus caritáte exímia próditus est; ob quam sibi nihil præter libros et túnicam reservábat. Itaque Pontisáram revérsus est, sed póstea, quum Romam negotiórum causa adiísset, a Summo Pontífice facultátem abbatiális dignitátis sibi concréditæ abdicándæ eníxe postulávit, sed frustra.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. (T. P. Allelúja.) ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et

Scanné avec CamScanner

ornávit eum. — Et ad portas.

Lectio vi

Miro animárum zelo flagrans, contra vítia ac præsértim simóniam gravíssimis verbis invehebátur. Quámobrem, in concílio Lutétiæ coácto, a simoniacórum calúmniis recens Summi Pontíficis decrétum tam ácriter vindicávit, ut injúriis ac verbéribus afféctus in víncula conjicerétur. Libertáti rédditus ope Beatíssimæ Vírginis cujus aspéctu bis per noctem fúerat recreátus, prope Abbátis Villam monastérium sanctimoniálium cóndidit. Aqua et legumínibus víctitans, panem, qui suppétebat ad cibum, paupéribus distribúebat. Tandem labóribus conféctus febríque corréptus, in Parascéve, die Octáva Aprilis, anno millésimo nonagésimo nono obdormívit in Dómino, cum jam anteáctæ vitæ, quas se admisísse noxas putábat, pública confessióne ac lácrymis fusis expiásset et morti próximus ásperos ultro sustinuísset cruciátus. In ædícula Sancti Martíni inhumátus non raro afflíctos et míseros vel miráculis sublevávit.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. (T. P. Allelúja.) ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (T. P. Allelúja.)

Oratio

INtercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Galtérii Abbátis comméndet; ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti, Commem. præcedentis et, in Quadrag., Feriæ.

Scanné avec CamScanner

Die 9 Aprilis

S. Gaucherii

Confessoris Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) ℟. Stolam glóriæ índuit eum. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. (T. P. Allelúja.)

Oratio

DEus, qui beátum Gauchérium veréndo sacerdótii ministério decorásti : concéde nobis ejus festum recoléntibus tibi digne famulári, et fidélibus vitæ sanctæ exémplo prælucére, ut cum ipso coronári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. (T. P. Allelúja.)

℣. Justum dedúxit.

Oratio Intercéssio nos, ut supra.

Deinde, in Quadragesima, Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Beátus, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

GAuchérius, Mellénti in diœcési Versaliénsi natus circa annum millésimum quinquagésimum, in humanióribus lítteris et christiánis institútis a Raynério erudítus, relíctis paréntibus, cum Germándo, quem sibi sócium elégerat, Lemovicénsem pétiit provínciam, ut uni Deo et oratióni vacáret.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam. (T. P. Allelúja.) ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v

DUce Humbérto canónico Lemovicénsi secéssit in silvam, ubi eccléSiam ædificávit, quo plures convenérunt, ut sancti presbýteri sermónibus et exémplis stimuláti salúti consúlerent. Construxit domum, in qua accedéntes colligeréntur; quibus præfuit, hac tamen conditióne ut Capítulo Sancti Stéphani Lemovicénsis subderétur.

Scanné avec CamScanner

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. (T. P. Allelúja.) ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

ADjútor fuit sancti Stéphani in instituéndo órdine Grandimontènsi, et plures, qui sanctitáte conspícui evasérunt, in via edócuit salútis. Obiit ætátis anno octogésimo, et clarus miráculis a Cæléstino tértio, Summo Pontífice, catálogo Sanctórum adscríptus est.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam. * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. (T. P. Allelúja.)

Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi vestri præcíncti, de Comm. Conf. non Pont. I loco.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) ℟. Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. (T. P. Allelúja.)

Oratio

DEus, qui beátum Gauchérium veréndo sacerdótii ministério decorásti : concéde nobis ejus festum recoléntibus tibi digne famulári, et fidélibus vitæ sanctæ exémplo prælucére, ut cum ipso coronári mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despíciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu. (T. P. Allelúja.)

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

Die 18 Aprilis

B. Mariæ ab Incarnatione

Viduæ Duplex

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. (T. P. Allelúja.) ℟. Inténde, pró-

Scanné avec CamScanner

spere procéde, et regna. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam. (T. P. Allelúja.)

Oratio

DEus, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo et mirábili in advérsis fortitúdine roborásti : ejus intercessióne concéde; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, et in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

MAría ab Incarnatióne Lutétiæ nobílibus piísque paréntibus nata, jam a téneris annis haud dúbia futúræ sanctitátis specímina dedit. Duodecénnis facta, inconsúltis paréntibus, religiósum hábitum in monastério régio Longi Campi suscípere decréverat; sed matre minus probánte, a propósito suo statim recéssit, oblatísque núptiis acquiévit. Etsi nihil magis optáret quam oratióni aliísque piis áctibus vacáre, ómnia tamen cónjugis matrísve múnia fidéliter adimplévit. Tunc autem potíssimum Maríæ virtus enítuit, cum, inter cívilis belli tumúltus, viro primum éxsule, mox in cárcerem detrúso, ipsa a domo ejécta ad eam inópiam redácta est, ut vix intérdum habéret unde sibi liberísque panem éméret. Attamen, tota spe in Deum erécta, nulli pepércit labóri donec liberórum securitáti consúluit, virúmque restítuit in libertáte.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, intén-de, próspere procéde et regna. — Et.

Lectio v

REbus ita compósitis, totam se dedit divíno cúltui augéndo et propagándo; atque auctoritáte, qua apud príncipes viros plúrimum valébat, effécit ut nova religiosórum institúta in Gállia stabilirén-tur, in primis ordo Carmelitárum excalceatárum. Quod ut assequerétur, postquam gravíssimos tum doctrína tum pietáte viros consuluísset, ex Hispánia accersívit venerábilem Annam a Sancto Bartholomæo et áliquot

Scanné avec CamScanner

sanctæ Terésiæ alúmnas, quæ germánam régulæ formam afférrent. Plura, Deo favénte, hujus institúti cœnóbia brevi témporis spátio cóndita fuérunt, eidémque órdini tres ejus fíliæ nomen dedérunt.

℟. Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

VIro autem vita functo, et ipsa in Ambianénse monastérium, sua ópera fundátum, se recépit, ibíque Carmelitárum excalceatárum régulam proféssa est. Qua in occasióne insígne præbuit humilitátis exémplum : nam etsi ómnium fácile parens erat ac magístra, id unum in votis hábuit, et repetítis précibus consecúta est, ut inter soróres ínfimum locum tenéret, húmili moniális, ut vocant, convérsæ título gaudens ac ministério. Tanta in ea fuit obediéntia, ut suæ fíliæ, quæ in eódem cœnóbio superioríssæ múnere per áliquod tempus functa est, velúti cæteræ moniáles, demísse obtemperáret. Post triénnium, superiórum jussu, evocáta Pontísaram, ad áliud ejúsdem institúti monastérium, ab ipsa páriter fundátum, cum ibi annum totum convérsa fuísset, diutúrno gravissimóque morbo patientíssime toleráto, sacraméntis Ecclésiæ munída, inter sodálium preces et lácrymas ánimam Deo réddidit, die décima octáva Aprilis, anno Dómini millésimo sexcentésimo octávo décimo, ætátis suæ quinquagésimo tértio. Mórtuam Deus mirabílibus signis illustrávit : quibus rite probátis, a Pio Papa sexto, inter Beátas annumeráta est, anno millésimo septingentésimo nonagésimo primo. Coórta cívili tempestáte quæ thronum et altáre fúnditus evértit, sanctæ mulíeris relíquiæ abscónditæ fuérunt. Postquam autem tepéscere cœpit impiórum furor, sacrum corpus, a loco ubi aliquándiu latúerat, extráctum, solémni pompa Pontísaram relátum est, et in capélla Moniálium Carmelitárum repósitum est, ubi nunc fidélium pietáte recólitur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur, allelúja. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Mú-

Scanné avec CamScanner

lier timens. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito, de Communi non Virg. I loco.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. (T. P. Allelúja.) ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. (T. P. Allelúja.)

Ad Bened. Ant. Date ei * de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. (T. P. Allelúja.)

Oratio

DEus, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo et mirábili in advérsis fortitúdine roborásti : ejus intercessióne concéde; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, et in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

℣. Diffúsa est.

Ad Magnif. Ant. Manum suam * apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem, et panem otiósa non comédit. (T. P. Allelúja.)

Die 30 Aprilis

S. Adjutoris

Confessoris Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

DEus, pro cujus amóre beátus Adjútor terréna despíciens, perfectiónis evangélicæ viam ingréssus est : ejus nobis intercessióne tríbue; ut spretis mundi illécebris, Christum sequi valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur; qui, pro ejúsdem fídei dilatatióne, martýrii palmam méruit obtinére. (Per Dóminum.)

Scanné avec CamScanner

Deinde Commem. S. Catharinæ Senensis Virginis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beátæ Catharínæ Vírginis tuæ natalítia cólimus : et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Beátus vir, de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

ADjútor, Blásruti prope Vernónem ad Séquanam, Joánne loci dómino et Rosemúnda Blasruénsi natus, piæ matris institutiónibus et exémplo, puérilem ætátem váriis virtútibus exércuit. Adoléscens, pro ardénti quo fervébat erga religiónem zelo, in Palestínam cum ducéntis comítibus, anno millésimo nonagésimo séptimo, ad bellum sacrum proficíscitur. Missus ad obsidiónem Antiochíæ, a quingéntis fere milítibus intercípitur, et, cum sócii fere omnes aufúgerent, ipse, invocáto sanctæ Maríæ Magdalénæ patrocínio, ira repénte résumit ánimos, ut in médium hóstium agmen cum paucíssimis homínibus, qui secum remánserant, irrúmpat, et cæsa parte plus quam dimídia, relíquos in fugam convértat.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

POst annos septémdecim ab hóstibus prope Hierosólymam captus est, et férreis onerátus caténis, variísque intérdum tormentórum genéribus affléctus, ut a Christo descísceret : at fidem constánter retínuit. Liberátus tandem, et redux in pátriam, Guliélmum Tironénsem Abbátem ádiit, a quo veste monástica indútus, opes omnes suas ipsíus cœnóbio ea lege largítus est, ut oratórium cum cella prope Vernónem extruerétur, in qua reclúsus, toto quo supervíxit témpore, omni

Scanné avec CamScanner

austeritátis génere se confécit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

OBitus sui præscius, epíscopum et Tirónis abbátem advocári curávit, a quibus Ecclésiæ Sacraménta humi jacens in ardentíssima febri accépit; et inter psalléndum emísit spíritum, prídie Kaléndas Maji, anno millésimo centésimo trigésimo primo. Corpus ejus in oratório, quod cellæ adjacébat, pone majus altáre cónditum est, ubi totíus vicíniæ frequéntia honorátur.

℟. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos relíquimus ómnia, de Communi Abbatum.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias pro S. Catharina Senensi, Virg. ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

DEus, pro cujus amóre beátus Adjútor terréna despíciens, perfectiónis evangélicæ viam ingréssus est : ejus nobis intercessióne tríbue; ut spretis mundi illécebris, Christum sequi valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Catharinæ :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio Da, quæsumus, ut supra.

Scanné avec CamScanner

Deinde, Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, Commem. Feriæ.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præcedentis :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

DEus, pro cujus amóre beátus Adjútor terréna despíciens, perfectiónis evangélicæ viam ingréssus est : ejus nobis intercessióne tríbue : ut spretis mundi illecébris, Christum sequi valeámus. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Catharinæ :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut, qui beátæ Catharínæ Vírginis tuæ natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum.

FESTA MAJI

Die 7 Maji

S. Maximæ

Virginis et Martyris

Duplex

In II Vesperis S. Joannis ante portam Latinam fit Commemoratio sequentis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Máximæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Stanislai Episc. et Martyris :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Scanné avec CamScanner

Oratio

DEus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit : præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones De Virgínibus, de Communi Virginum 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

QUinto sæculo flóruit Máxima, quæ cum ex patre, Durdáni príncipe, falsis numínibus addícto, nata esset, domésticis primum superstitiónibus imbúta, mox ad cultum veri Dei convérsa est. In silvam, haud procul a Durdáno, juxta fontem ubi póstea cónditus est pagus qui Sanctæ Máximæ nomen étiam nunc óbtinet, sese assíduo conferébat, ut Deum libérius oráret sacrámque religiónis doctrínam edísceret. Tanto Dei amóre tum succénsa est, ut Deo Christóque virginitátem devóveret, posthábita sæculi glória, ad tentatiónes quáslibet superándas et ad mortem ipsam sufferéndam, jejúnio, oratióne et eleemósynis paráta.

℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, intén-de, próspere procéde, et regna. — Et.

Lectio v

QUadam die, cum abséntem a solémniis in honórem idolórum celebrátis fíliam pater conspexísset et ab ea postulásset cur ita egísset, Máxima se christiánam esse, ideóque deos ímpios respúere conféssa est : tum pater, ut fíliam a propósito suo dimovéret, pollícitur se eam fílio opulentíssimi viri, intra eámdem regiónem, in loco étiam nunc Castílliæ dicto, in matrimónium traditúrum, si ad deórum cultum redíre vellet, secus morte punitúrum; et non multo post, nec blandítiis nec minis emótam puéllam furens trucidári ímperat. Illa autem, vires imbecillitáti natúræ subminístránte Deo, firma gaudénsque martýrii decus obtruncáto cápite assecúta est. Sanctæ Mártyris corpus haud procul a patérna domo sepúltum est.

Scanné avec CamScanner

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

EXeúnte décimo et octávo sæculo, dum ímpiis furóribus nostra disturbarétur Gállia, a sacrilegórum mánibus tutum remánsit beátæ Máximæ caput, aut saltem partes cápitis nonnúllæ, quæ in paróchia illíus nómine nuncupáta jam plúribus abhinc sæculis asservabántur. Reliquiárum memória translatárum celebrátur die Domínica quæ beatíssimæ Maríæ in cælum Assúmptæ Octávam séquitur; præcípue vero cólitur Máxima die Maji séptima, qua ad ecclésiam ipsi dicátam frequens e vicínis locis cónvenit pópulus. Anno millésimo quingentésimo trigésimo, summus Póntifex non tantum approbávit piam peregrinatiónem, sed eam religióse obeúntibus indulgentiárum quoque thesáuros apéruit.

℟. Afferéntur Regi Vírgines post eam, próximæ ejus, * Afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, intén- de, próspere procéde, et regna. — Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile est, de Comm. Virginum 1 loco.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias pro S. Stanislao Episcopo et Martyre ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Ad Bened. Ant. Símile est regnum cælórum * hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

Oratio

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti : concéde propítius; ut, qui beátæ Máximæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Stanislai :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres

Scanné avec CamScanner

cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors Sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

DEus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit : præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Deinde, Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, Commemoratio Feriæ.

Vesperæ de sequenti, Commemoratio præced., S. Stanislai ac S. Petri Tarentasii, ut infra.

Die 8 Maji

S. Petri Tarentasii

Episcopi et Confessoris

Commemoratio

In I Vesperis Apparitionis S. Michaelis Archangeli, fit Commem. præced.

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Diffúsa est.

Oratio Deus, qui inter cætera, ut supra.

Deinde Com. S. Stanislai :

Ant. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja : vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu.

Oratio Deus, pro cujus honóre, ut supra.

Postea Commem. S. Petri Tarentasii :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In III Nocturno Apparitionis S. Michaelis, ex VIII et IX Lectione fit una. Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias

Pro S. Petro Tarentasio

Lectio ix

PEtrus, delphinátis paréntibus natus et sédulo educátus, mónachus efféctus, cœnóbium Tamiénse, in diœcési Tarentasiána cóndidit. Archie-

Scanné avec CamScanner

píscopus ejúsdem diœcéseos creátus, egrégius pastor disciplínæ zelo enítuit. Cum eo témpore Ecclésia schísmate dilacerarétur, a Callíxto secúndo Summo Pontífice missus est ad reconciliándos reges Angliæ et Gálliæ inter se dimicántes. Quamóbrem in aula cómmorans, précibus regínæ Gálliæ in monastério Altæ-Bruériæ altáre consecrávit et visum puéllæ cuidam signo crucis restítuit. In castéllo Montis Morenciáni ecclésiam dedicávit et paulo post, Corbólium devéniens, Præpósiti fíliam quinquénnem crúribus laborántem inértibus miraculóse eréxit. In abbátia Héderæ précibus abbatíssæ duóbus surdis audítum restítuit et paralýticum, moniálibus stupéntibus, sanávit. Cum in suam diœcésim redíret anno millésimo centésimo septuagésimo quarto, in cœnóbio Bellæ-Vallis in ósculo Christi decéssit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Post Commemorationem Feriæ in Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, fit Commem. S. Petri Tarentasii:.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Die 11 Maji

S. Gulielmi Pontisarensis

Confessoris Semiduplex

(m. t. v.) nisi alicubi primas vesperas habeat

In II Vesperis S. Antonini fit Commem. sequentis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátum Guliélmum, Presbýterum, boni pastóris dótibus adornásti : præsta, quæsumus; ut sanctæ ejus vitæ vestígiis inhæréntes, ad cæléstem pátriam in qua gloriósus exsúltat,

Scanné avec CamScanner

ejus intercessióne secúri pervenire valeámus. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Beátus vir de Comm. Conf. non Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

GUliélmus, Présbyter, natióne Anglus, desinénte duodécimo sæculo, relícta pátria, in Gálliam transfretávit, ut libérius suæ salúti óperam daret. Pontísaræ, in diœcési Versaliénsi, ubi sedem statúerat, pietáte, orándi stúdio, miro salútis animárum zelo, cæterísque sacerdotálibus virtútibus brevi incláruit.

℟. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum : * Et dedit illi claritátem ætérnam, allelúja. ℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et.

Lectio v

OMnium votis ad régimen ecclésiæ parochiális sub título Beátæ Maríæ evéctus, commíssum sibi óvile indefessa sollicitúdine et apostólica caritáte diréxit. Apud Philíppum Augústum regem et Galtérium Rothomagénsem Archiepíscopum summo in honóre fuit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum. * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio vi

TAndem plenus méritis óbiit die décima Maji, in castéllo régio Pontísaræ, ut in Chrónico sancti Dionýsii légitur. Multis miráculis post mortem éditis, comprobáta Guliélmi sánctitas magno populórum concúrsu et débita veneratióne emícuit.

℟. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam : * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evang. Nolíte timére, de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, et fit ejus Commemoratio ad Laudes.

Scanné avec CamScanner

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátum Guliélmum, Presbýterum, boni pastóris dótibus adornásti : præsta, quæsumus; ut sanctæ ejus vitæ vestígiis inhæréntes, ad cæléstem pátriam in qua gloriósus exsúltat, ejus intercessióne secúri perveníre valeámus. Per Dñum.

Vesperæ a Capitulo de sequenti; Commem. præced. :

Ant. Hic vir despíciens mundum et terréna, triúmphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, allelúja.

℣. Justum dedúxit.

Die 14 Maji

S. Eremberti

Episcopi et Confessoris

Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

EXáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Erembérti Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Robérte, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui ad errórum insídias repelléndas et Apostólicæ Sedis jura propugnánda, beátum Robértum Pontíficem tuum atque Doctórem mira eruditióne et virtúte decorásti; ejus méritis et intercessióne concéde, ut nos in veritátis amóre crescámus et errántium corda ad Ecclésiæ tuæ rédeant unitátem. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Bonifatii Martyris :

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

Scanné avec CamScanner

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. ℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

DA, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui beáti Bonifátii Mártyris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Fidelis sermo de Communi Conf. Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

(Ex ejus vita apud Mabillon)

SRembértus, Filliáci Cortis, in território sancti Germáni in Lida, nóbili génere natus, relícto sæculo, monásticum hábitum índuit Fontanéllis, ibíque sub Vandregisílli Abbátis disciplína ómnium virtútum laude cláruit. Crescénte in dies sanctitátis ejus fama, ad regéndam Tolosánam Ecclésiam totíus cleri ac pópuli votis, invítus ac multum relúctans, assúmitur. Factus epíscopus, in eo múnere ita se gessit, ut gregi suo semper inténtus, páuperes páscere, ægros invísere, docére impéritos, errántes corrígere, cætéraque Christiánæ caritátis offícia exercére non desísteret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

QUI nihilóminus salúti invígilans, oratióni et sacrárum Scripturárum lectióni déditus, pristínæ solitúdinis desidério fragrans, quam primum dignitátem episcopálem abdicáre inténdit ut ad monastérium Fontanellénse reverterétur. Tandem voti sui compos, ad Lambértum, sancti Vandregisílli successórem, se cóntulit; cum autem rei familiáris causa commorarétur Filliáco Cortis, apud fratrem suum Camárdum, incéndium repénte subórtum et totíus vici ruínam mínitans, báculo suo flammis óbviam demísso, precibúsque fusis in ecclésia sancti Saturníni epíscopi Tolosáni et mártyris a se íbidem extrúcta, pénitus exstínxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Scanné avec CamScanner

Lectio vi

Onféctus senío et plenus méritis, ad Dóminum prídie idus Maji migrávit, miráculis ante et post mortem clarus. Sacrum ejus corpus in ecclésia sancti Pauli in monastério Fontanellénsi cónditum, veneratióne et concúrsu populórum frequentátum, post trecéntos annos in ecclésiam sancti Petri ejúsdem monastérii translátum, tandem ad Abbátis Villam translátum est. In Filliáci Cortis ecclésia, báculus et vestis quædam sancti Erembérti asservabántur usque dum, ecclésia et ipsómet vico destrúctis, Camboriácum, in vicum proximiórem alláta sunt et in ecclésia depósita, quæ ex eo témpore título sancti Saturníni insigníri cœpta est.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæléstia regna. — Ipse. Glória. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evang. Vigiláte, de Comm. Confessoris Pontificis 2 loco.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias pro S. Bonifatio ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Erembérti Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus : et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Com. S. Bonifatii :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui beáti Bonifátii Mártyris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Deinde, Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, Commem. Feriæ.

Vesperæ a Capitulo de sequenti; Commem. præced. :

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

℣. Justum dedúxit.

Die 28 Maji

S. Germani

Parisiensis Episcopi et Confessoris Duplex

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntifex, * et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

Oratio

DEus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti, ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Et fit Commem. præced. :

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Beda, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

℣. Justum dedúxit.

Oratio

DEus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas : concéde propítius fámulis tuis, ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Augustini Episcopi et Confessoris :

Ant. Amávit, ut supra.

Quando vero Festum S. Augustini Commemorationem in secundis Vesperis non habet, dicitur :

Ant. Euge, serve bone, ut supra.

℣. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi, allelúja. ℟. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis, allelúja.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Quando autem dies 27 incidit In Dom., in II Vesp. Commemoratio S. Augustini fit ante Commemorationem S. Bedæ. Pro S. Augustino, dicitur ℣. Justum dedúxit..., et pro S. Beda :

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, allelúja. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium, allelúja.

In I Nocturno, si sumendæ sint de Communi, Lectiones Fidélis sermo de Communi Conf. Pont. 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

GErmánus, apud Æduos honéstis paréntibus natus, a beáto Scopilióne propínquo suo educátus est, cum quo ad matutínas preces ecclésiam, mille passus distántem, quacúmque áëris tempérie adíbat. Présbyter a sancto Agrippíno ordinátus, ex mónacho per Nectárium, Agrippíni successórem, factus est Abbas monastérii Sancti Symphoriáni Augustodunénsis. Eusébio Parisiórum Epíscopo mórtuo sufféctus, nihil remísit de vitæ austeritáte quam in monastério égerat. Hora noctis tértia ecclésiam ingréssus, non recedébat ante dilúculum, cæteris de Clero per tres vigílias sibi vicíssim ad psallén-dum succedéntibus. Ita Deo erat inténtus, ut de illo semper áliquid conférret in privátis collóquiis, lectiónes sacras ad mensam adhibéret, et, dum iter ágeret, divínum offícium nudo cápite, étiam inter equitándum, persólveret. Clerum, pópulum et infántes ipsos, Fortunáto teste, divínas laudes psállere pie instítuit. Mira ejus in páuperes, máxime vero in servos captivósque rediméndos, beneficéntia fuit; quod ei Childebértum regem ita conciliávit, ut ex régio ærário ad pias largitiónes ingéntem pecúniam subministráret.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v

CUM autem Childebértus in gravem morbum apud Cellas, in pago Melodunénsi, incidísset, réddita sibi a Germáno, per impositiónem mánuum, sanitáte, villam ipsam donávit matri Ecclésiæ Parisiénsi, quæ jam tunc in honórem sanctæ Maríæ dedicáta erat. Accérsitus a Clotário, qui, quod eum

Scanné avec CamScanner

contempsísset, a Deo percússus erat, illum admótis vestiméntis suis sanávit. Charibértum reprehéndit, qui uxóris sorórem dúxerat, eíque sacris interdíxit. Sigebértum, imploráta étiam per lítteras Brunichíldis uxóris ópera, detérrere conátus est a cæde Chilperíci fratris, suísque mónitis reluctántem brevi moritúrum prædíxit.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúja. ℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vi

PRoféctus ad Sýnodum Bituricénsem, in qua Felix est ordinátus, Judæum quemdam lucrátus est, ejúsque cónjugem a dæmónio obséssam liberávit, quæ mox una cum multis áliis judæis christiánam fidem proféssa est. Augustodúni in ordinatióne Syágrii, Florentíno, qui póstea Matisconénsis epíscopus fuit, óculi usum restítuit. Parísiis cum ad Basílicam Sanctórum Gervásii et Protásii orándi causa accéderet, solo crucis signo occlúsas fores apéruit. Savárae puéllam Magnofléde nominátam a dæmone opprés-sam sanávit et in número rum vírginum velo impósito admísit. Spedonéto villa, cujúsdam hóminis distórtas maxíllas redúxit; Vico-Novo hóminem lupi rábidi morsu necátum óleo benedícto ad vitam revocávit et, teste eódem Fortunáto, vétulæ cæcæ óculis benedíxit, a quibus sanguis íllico fluxit et in suo cubículo, adhíbita aqua tépida, lotos restítuit. Sedit in concílio Parisiénsi tértio et quarto atque in Turonénsi secúndo. Aliquot ante tránsitum suum diébus próprio léctulo per notárium ínscribi vóluit verba : Quinto Kaléndas Júnias. Qua die cum obiísset, tunc apértus est verbórum sensus, qui háctenus latúerat. Corpus ejus sepúltum est ad sanctum Vincéntium, in oratório sancti Symphoriáni, et sub Pippíno in majórem hujus monastérii basílicam translátum.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est : * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. ℣. Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cæ-

Scanné avec CamScanner

léstia regna. — Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúja. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 10, 11-16

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 138

AUdivímus Dóminum Jesum commendántem nobis boni pastóris offícium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres. Et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum : Ego sum, inquit, pastor bonus. Et unde sit pastor bonus consequénter osténdit : Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Mercenárius autem, et qui non est pastor, videt lupum veniéntem, et fugit : quóniam non est ei cura de óvibus; mercenárius est enim. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? Nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam pro óvibus pósuit? Quid Paulus? Quid cæteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti epíscopi mártyres? Nonne omnes pastóres boni; non mercenárii, de quibus dícitur : Amen dico vobis, percepérunt mercédem suam?

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. — Et.

Lectio viii

DOminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apóstoli cæteri, et posterióres sancti Epíscopi? Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum. Ego sum, inquit, pastor bonus. Interrogémus Dóminum qualicúmque sensu, et humíllima disceptatióne cum tanto patrefamílias colloquámur. Quid dicis, Dómine, bone pastor? Tu enim bonus pastor qui bonus agnus; idem pastor et páscua, idem agnus et

Scanné avec CamScanner

leo. Quid dicis? Audiámus, et ádjuva ut intelligámus. Ego sum, inquit, pastor bonus.

℟. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris : * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis, allelúja. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. — Et vos símiles . Glória Patri. Et vos símiles.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias pro S. Augustino Episcopo et Confessore, ut in Breviario.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. fidélis, serve bone * et Euge, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

Oratio

DEus, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hunc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti : da Ecclésiæ tuæ in ejus natalítio exsultánti, ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegátur et méritis. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Augustini :

Ant. Sacérdos et Póntifex, et virtútum ópifex, pastor bone in pópulo, ora pro nobis Dóminum, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Deinde, in Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, Commem. Feriæ.

IN II VESPERIS

℣. Justum dedúxit.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja.

Et fit Commem. sequentis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam

Scanné avec CamScanner

tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

DEus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da, ut, quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Augustini :

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

DEus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es : concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Die 30 Maji

S. Joannæ de Arc

Patronæ minus Principalis Galliæ

Virginis

Duplex II classis

Omnia de Communi Virginum, præter ea quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS

Ant. 1 Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Psalmi ut in Communi Festorum B. M. V.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ, assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in mé-

Scanné avec CamScanner

dio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capitulum Sap. 8, 9-10

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens, quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis, et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

STat cultrix vígilans páuperis hórtuli,
Annórum trédecim párvula, nil sciens,
Primas docta preces, præ sóciis pia,
Simplex, mitis et ínnocens.

Orántem Míchaël Angelus édocet,
Quam claræ párili lúmine vírgines,
Virtútum méritis conspícuæ simul,
Crebris allóquiis fovent.

Dum voces súperas éxcipit, éxpavet;
Sed, fidens Dómino, fórtior in dies,
Parens impériis, pro pátria libens
Castam se vovet hóstiam.

Mox dulces sócias et pátriam domum,
Et cum matre patrem jussa relínquere,
Miles facta Dei, quo vocat Angelus,
Fertur nil trépidans eques.

Qui terras státuit, glória sit Patri :
Qui gentes rédimit, glória Fílio :
Sancto Spirítui glória, qui pias
Et fortes ánimas facit.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja.
℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hæc est Joánna, * virgo Aurelianénsis : hæc est, quæ multum orat pro pópulo, et pro univérsa Gallórum gente, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Nulla Commemoratio.
Complet. de Dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus Dómino.

Scanné avec CamScanner

Hymnus

AUreliáni túrribus
Frustra premúntur hóstium :
Intrat Joánna : mílites
Hymnos precésque cóncinunt.

Quam vellet hosti párcere!
Hunc voce amíca prǽmonet,
Sponte ut recédens, líberum
Regnum relínquat Gálliæ.

Negat, sed agmen Gállicum
Ruit : Joánna sánguinem
Profúndit, icta vúlnere,
Deúsque dat victóriam.

Urbes et agros óccupat;
Rursus nitéscunt Lília;
Turmæ fugántur hóstium;
Rhemos patéscit sémita.

Sequens Conclusio nunquam mutatur.

O sancta et una Trínitas,
Firmans movénsque péctora,
Contra malum certántibus
Dona vigórem et prǽmium. Amen.

In I Nocturno

Ant. Eleváta est * magnificéntia Joánnæ super cælos, allelúja.

Sub una tantum Antiphona in quolibet Nocturno dicuntur Psalmi.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51, 1-17

Confitébor tibi, Dómine, Rex, et collaudábo te Deum, Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa.

℟. Deus ómnium exaudítor est : ipse misit Angelum suum, et tulit me de óvibus patris mei : * Et unxit me unctióne misericórdiæ suæ, allelúja, allelúja. ℣. Præparáte corda vestra Dómino, et servíte illi soli, quia misit me in adjutórium vobis. — Et unxit.

Scanné avec CamScanner

Lectio ii

LAudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt : quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. Ego tuli te de domo patris tui, et audíre feci tibi vocem meam : * Fuíque tecum in ómnibus, ubicúmque ambulásti, allelúja, allelúja. ℣. Feci tibi nomen grande in univérso pópulo tuo, juxta nomen magnórum, qui sunt in terra. — Fuíque.

Lectio iii

EXaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. Adonái, Dómine, Deus magne et mirábilis, qui dedísti salútem in manu féminæ : * Exáudi preces servórum tuórum, allelúja, allelúja. ℣. Benedíctus es, Dómine, qui non derelínquis præsuméntes de te, et de sua virtúte gloriántes humílias. — Exáudi. Glória Patri. Exáudi.

In II Nocturno

Ant. Propter veritátem * et mansuetúdinem, et justítiam, dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja.

℣. Factus est Dóminus susceptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

Lectio iv

Oánna de Arc, in óppido Domremén-si, olim diœcésis Tullénsis, nunc Sancti Deódati, conspícuis fide et morum integritáte paréntibus, orta est anno Christi millésimo quadringentésimo duodécimo. Vix trédecim annos habébat, solúmmodo doméstica negótia, opus rústicum, et prima rerum divinárum eleménta edócta erat, cum se a Deo eléctam esse

Scanné avec CamScanner

admónita est, ad Gálliam ab hóstibus liberándam, et ad prístinum regnum, restituéndum. Postquam, per quinque annos, Míchaël Archángelus atque Catharína et Margaríta, vírgines sanctæ, quibus familiáriter utebátur, certiórem eam fecérunt, quómodo rem jussam peráge-ret, Deo paréndum esse rata, a præfécto Vallis Colórum pétiit, et, post nonnúllas repúlsas, obtínuit, ut viros sibi daret, qui se ad Cárolum regem dúcerent.

℟. Benedícat te Dóminus in virtúte sua, qui per te ad níhilum redégit inimícos nostros : * Ut non defíciat laus tua de ore hóminum, allelúja, allelúja. ℣. Tu lætítia, tu honorificéntia pópuli nostri, quia nomen tuum ita magnificávit Dóminus. — Ut non defíciat.

Lectio v

SUpérnis mónitis obtémperans, superátis longi itíneris difficultátibus, ad Castrum Cainonénse in agro Turónico pervénit, et, Cárolo regi facta fide se a Deo missam esse, in urbem Auréliam profécta est. Paucis débus, terríbili ímpetu, tríplicem cladem hóstibus inflíxit, castélla expugnávit, suúmque sústulit vexíllum. Inde, postália béllica facta, in quibus mirum in modum appáruit auxílium Dei, Rhemos Cárolum duxit, ut régia consecratióne inungerétur. Nec quiescéndum esse cénsuit : sed cum a cæléstibus núntiis accepísset se, Deo permitténte, in hóstium potestátem esse ventúram, libénti ánimo, quæ fíeri necésse esset, suscépit.

℟. Ornavérunt fáciem templi corónis áureis, unxérunt regem, et ascendéntes læti dixérunt : Vivat rex. * Et facta est lætítia magna in pópulo, allelúja, allelúja. ℣. In hymnis et confessiónibus benedicébant Dóminum, qui per manum féminæ fecit victóriam. — Et facta.

Lectio vi

CApta Joánna in civitáte Compéndio, et hóstibus prétio trádita, Rhotómagum mox ducta, cum ibi in jus rapta esset, quamplúrimis criminatiónibus, excépta morum castitáte, fuit obnóxia; sed ómnia pro Jesu patiénter tolerávit. Acta per corruptíssimos júdices causa, ínnocens et mitis virgo damnáta est pœna combustiónis. Igitur sacra Eucharístia, quam tam diu

Scanné avec CamScanner

desideráverat, refécta, óculis ad crucem convérsis, nomen Jesu sæpíssime ingéminans, ad cælum evolávit die trigésima Maji, nondum expléto ætátis suæ anno vigésimo. Romáña Ecclésia, quam semper diléxerat, et ad quam sæpius provocáverat, eam ab omni crímine vindicándam, Callísto tértio summo Pontífice, curávit. Vergénte in finem sæculo undevicésimo, Leo décimus tértius Aurelianénsis puéllæ causam introdúci permísit. Postrémo Joánnam de Arc summus Póntifex Pius décimus in beatárum, Benedíctus vero décimus quintus in sanctárum Vírginum número rétulit.

℟. Puélla mea, noli timére quia ego tecum sum, dicit Dóminus : * Si transíeris per ignem, flamma non nocébit ánimæ tuæ, et ego glorificábo eam, allelúja, allelúja. ℣. Mittam tibi Angelum meum, et in médio flammæ laudábis nomen meum. — Si. Glória Patri. Si.

In III Nocturno

Ant. Conféssio et pulchritúdo * in conspéctu ejus, sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus, allelúja.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja.

℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16, 24-27

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam et sequátur me. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Cap. 16, 17

QUid Beátum damnum et jactúra felix! ditéscere nos Dóminus detriménto ánimæ et córporis vóluit, et esse sui símiles hortátur : quia ipse in figúra Dei constitútus, usque ad mortem húmilis et obédiens factus, principátum potestátis totíus, quæ in Deo est, accépit. Sequéndus ígitur est cruce assúmpta, et passiónis suæ si non sorte, áttamen voluntáte comitándus est. Quid enim prodest occupásse mundum, et toto terrénæ potestátis dominátu ópibus sæculi incubáre, si perdénda ánima et suscipiéndum vitæ detriméntum est?

℟. Exáudiat Dóminus oratiónem puéllæ suæ, qua orávit pro nobis, ut reconciliétur nobíscum Deus :

Scanné avec CamScanner

℣. Fac, Dómine, ut máneat Nomen sanctum tuum in terra nostra, allelúja, allelúja. ℟. Réspice, Dómine, et vísita pópulum tuum, ne defíciat in eo Hóstia et Sacrifícium. — Fac.

Lectio viii

QUÆ autem commutátio pro ánima, cum fúerit amíssa, quærétur? Cum Angelis enim Christus áderit, reddens síngulis, ut merebúntur. Quid offerémus ad vitam? Præparátos credo terrenárum opum futúris commérciis thesáuros, ambitiósos dignitátum, famæque títulos, aut véteres delegátæ nobilitátis imágines? Negánda sunt hæc ómnia, ut melióribus abundémus: et contémptu universórum Christus sequéndus est, et ætérnitas spirituálium terrenórum est damno comparánda.

℟. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : * Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso, allelúja, allelúja. ℣. Quia minas júdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. — Posuísti. Glória Patri. Posuísti.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias pro S. Felice I Papa et Martyre, ut in Breviario.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemorati non sit dicenda, erit sequens :

Lectio ix

GRave onus infirmitáti humánæ imposúerat, ut cum sensum vitæ hómines ex vivéndi afféctu habére cœpíssent, fructum ejus, qui præsens corpóribus blandiebátur, amítterent; negaréntque se sibi, id est, quod esse cœpíssent, esse se nollent : cum sensus hujus exórdium ex afféctu voluntátis habuíssent. Opus ergo erat veri ac manifésti exémpli auctoritáte, ut contra vim sensúmque judícii, optábile fíeret præséntium damnum, lucro deínceps non ambíguo futurórum. Igitur postquam et tolléndam crucem, et perdéndam ánimam, et damno mundi commutándam vitæ ætérnitátem monúerat, convérsus ad discípulos, ait : Quosdam ex his futúros, qui gustatúri mortem non essent, donec Fílium hóminis in regni sui glória contueréntur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

℣. Ecce Joánna, * virgo simplex et píssima, quó-

Scanné avec CamScanner

niam timébat Dóminum valde, nec erat, qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 Suscitávit * eam Dóminus, et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

3 Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

4 Ecce levávit * ad gentes manum suam, et ad pópulos exaltávit signum Dómini, ut fúgerent partes advérsæ, allelúja.

5 Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capitulum Sap. 8, 9-10

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

Hymnus

HOstium victrix, properánte cursu,
Cárolum ad sanctam comitáris ædem,
Ut triumphántem sacra rite signet
Unctio regem.

Gáudio fundens lácrimas, Joánna,
Príncipi plaudis; Dómino repéndis
Débitas grates, retinésque dextra
Nóbile signum.

Erigens longa pópulum ruína,
Mira fecísti, generósa virgo :
Jure te nostræ pátriæ paréntem
Sæcla vocábunt!

Sed manet major meliórque merces :
Te novus poscit labor et triúmphus :
Te Deus mittens dabit ipse vires
Atque corónam.

Qui dedit presso pópulo salútem,
Laude ter sanctum Dóminum colámus,
Semper ut tantæ méritis patrónæ
Gállia vivat. Amen.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja.
℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Stans beáta Joánna * in médio flammæ, óculis ad crucem convérsis, sic orábat, di-

Scanné avec CamScanner

cens : Dómine Jesu, áccipe spíritum meum : ne státuas illis hoc peccátum, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Post Commemorationem Feriæ in Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis, fit Commem. S. Felicis I Papæ et Martyris :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

GRegem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde : et per beátum Felícem Mártyrem tuum atque Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Ecce Joánna, * virgo simplex et piíssima, quóniam timébat Dóminum valde, nec erat qui loquerétur de illa verbum malum, allelúja.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Habébo, ut ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. Suscitávit eam Dóminus, * et ídeo puélla índuit armatúram Dei, ut posset stare advérsus insídias inimicórum, allelúja.

Capitulum Sap. 8, 9-10

PRopósui sapiéntiam addúcere mihi ad convivéndum : sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis et tædii mei. Habébo, propter hanc, claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis.

℟. br. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, * Allelúja, allelúja. Méritis. ℣. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Méritis.

℣. Factus est Dóminus suscéptor meus, allelúja. ℟. Et refúgium meum in die tribulatiónis, allelúja.

Scanné avec CamScanner

AD SEXTAM

Ant. Stetit * succíncta lumbos suos in veritáte, et indúta lorícam justítiæ assúmpsit scutum et gáleam salútis, allelúja.

Capitulum Sap. 8, 12

TAcéntem me sustinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent.

℟. br. Factus est Dóminus suscéptor meus, * Allelúja, allelúja. Factus. ℣. Et refúgium meum in die tribulatiónis. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Factus est.

℣. Posuísti, Dómine, super caput ejus, allelúja. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúja.

AD NONAM

Ant. Custodívit * eam Angelus, et hinc eúntem, et ibi commorántem, et inde reverténtem, atque in médio ignis non derelíquit eam, allelúja.

Capitulum Sap. 8, 13

HAbébo, per hanc, immortalitátem, et memóriam ætérnam, his qui post me futúri sunt, relínquam.

℟. br. Posuísti, Dómine, super caput ejus, * Allelúja, allelúja. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Posuísti.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo, allelúja. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eam, allelúja.

IN II VESPERIS

Ant. et Capit. de Laudibus. Psalmi de Communi Festorum B. Mariæ Virg.

Hymnus

SAlve, virílis péctoris
Virgo, Patróna Gálliæ!
Torménta dira sústinens,
Christi refers imáginem.

Voces supérnas áudiens
Jesu repléta lúmine,
Dum fata pandis pátriæ,
Silent pavéntque júdices.

Oppréssa flammis, clámitas
Jesum, crucémque fórtiter
Ampléxa, ad Ipsum, símplicis
Instar colúmbæ, pérvolas.

Choris beátis Vírginum
Adscrípta, cives ádjuva :
Te deprecánte, síngulis
Detur coróna glóriæ.

Sequens Conclusio nunquam mutatur.

Sit laus Patri, sit Fílio :
Sancto decus Paráclito,
Qui corda amóre sáuciat,
Vires et auget lánguidis.
Amen.

℣. Méritis et précibus beátæ Joánnæ, allelúja. ℟. Propítius esto, Dómine, pópulo tuo, allelúja.

Scanné avec CamScanner

Ad Magnif. Ant. Joánna, * sponsa Christi, tutrix et custos pátriæ, esto tuis fámulis murus inexpugnábilis assíduis suffrágiis, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátam Joánnam Vírginem ad fidem ac pátriam tuéndam mirabíliter suscitásti : da, quæsumus, ejus intercessióne; ut Ecclésia tua, hóstium superátis insídiis, perpétua pace fruátur. Per Dóminum.

Et fit Com. sequentis et S. Angelæ Mericiæ, ut notatur infra.

Die 31 Maji

In Festo

B. Mariæ Virginis Omnium Gratiarum Mediatricis

Duplex majus

IN I VESPERIS

Sicubi dicendæ sint integræ, Ant. et Capit. de Laudibus, Psalmi et Hymnus ut in Comm. Fest. B. M. V.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce Dóminus meus * ómnia mihi trádidit, nec quidquam est, quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi, allelúja.

Oratio

DOmine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis.

Deinde Commem. S. Angelæ Mericiæ Virginis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. (Per Dóminum.)

Quando festum S. Joannæ Arc. transfertur, quin in die 30 fiat officium de alio festo I vel II cl., fit etiam comme-

Scanné avec CamScanner

moratio Ss. Cantiani et Soc. Mm. :

Ant. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, allelúja.

℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja.
℟. Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

DEus, invisíbilis certántium fortitúdo, adésto, quæsumus, supplicatiónibus nostris : ut qui Cantiáni et sociórum ejus gloriósum recólimus triúmphum; eórum méritis et précibus contra spirituáles nequítias muniámur.

Postea Commem. S. Petronillæ Virg. :

Ant. Símile est, ℣. Diffúsa, ut supra ad Laudes.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut sicut de beátæ Petroníllæ, Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Complet. de Dominca.

Conclusio Hymnorum, ad omnes Horas, erit sequens :

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam : * Veníte, adorémus, allelúja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

CHristus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans!
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte,
Vita salúsque!

Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.

Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur génitrix María,
Cujus ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.

Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu :

Scanné avec CamScanner

Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine, laudent.
Amen.

In I Noeturno

Ant. Fons hortórum, * púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano, allelúja.

Psalmi trium Nocturnorum, sub una tantum Antiphona, ut in Comm. Festorum B. M. V.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, allelúja. ℟. Sancta Dei Génitrix, allelúja.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24, 5-11

EGO ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram : ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti : et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui : et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi : et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. In Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúja. ℣. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. — Et.

Lectio ii Ib. 22-31

EGO quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Scanné avec CamScanner

℟. Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et justítia : * Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto, allelúja. ℣. In viis justítiæ ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum répleam. — Mélior.

Lectio iii Ib. 41-46

EGO quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi : Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare : quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis :* Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini, allelúja. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. — Transíte. Glória Patri. Transíte.

In II Nocturno

Ant. Hábuit grátiam * et misericórdiam coram Rege super omnes mulíeres, allelúja.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

Orátio sancti Ephræm Syri Diáconi ad Deíparam

Lectio iv

DOmina mea, sanctíssima Dei Génitrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam miserircódiam interrúmpant, Dei Génitrix,

Scanné avec CamScanner

meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est fírmius tropháeum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus; per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sæculi Apóstolis, Prophétis, justis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. Ecce Dóminus meus ómnia mihi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi, allelúja. ℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. — Nec quidquam.

Sermo sancti Germáni Epíscopi Constantinopolitáni

Oratio 9 post medium

Lectio v

NOS, qui divinórum ópe-rum morúmque páuperes sumus, dum per te, o María, nobis exhíbitas benignitátis divítias cérnimus, propénse dicámus : Misericórdia Dómini plena est terra. Nos, in multitúdine peccatórum a Deo extórres, per te Deum quæsívimus et invénimus, inventóque salvi facti sumus. Igitur potens ad salútem præstándam auxílium tuum, o Dei Génitrix, ac ejúsmodi, ut nullum álium mediatórem necessárium hábeat ad Deum. Plane enim nullus tuæ magnificéntiæ finis; insatiábilis opitulátio tua. Nullus múnerum tuórum número est. Nullus enim, nisi per te, o sanctíssima, salútem conséquitur. Nullus, nisi per te, o immaculatíssima, qui a malis liberétur. Nullus, nisi per te, o castíssima, cui donum indulgeátur. Nullus, nisi per te, o honoratíssima, cui grátiæ munus misericórdia præstétur. Quamóbrem, quis te beátam non prædicábit? Te, inquam, gloriósam, te beatificándam, quæ ab ipso Fílio tuo ac Deo magnália nacta sis, uti magna et admiránda : quamóbrem te laudant omnes generatiónes.

℟. Præpósita ómnibus, gubérnat créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita. * Absque

Scanné avec CamScanner

ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja. ℣. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. — Absque.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis
In Nativitate B. Mariæ V., n. 6

Lectio vi

INtuére, o homo, consílium Dei, agnósce consílium sapiéntiæ, consílium pietátis. Cælésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit : redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Ut quid hoc? Forte ut excusarétur Heva per fíliam, et quæréla viri advérsus féminam deínceps sopirétur. Ne díxeris ultra, o Adam : Múlier quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vétito; dic pótius : Múlier quam dedísti mihi, me cibávit fructu benedícto. Piíssimum sane consílium; sed latet fórsitan áliud, nec totum hoc est. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María; in proínde, si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur : quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére vóluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Laudáte Dóminum, Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se : * Et in me, ancílla sua, adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israël, allelúja. ℣. Deus exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos. — Et in me. Glória Patri. Et in me.

In III Nocturno

Ant. Si invéni grátiam * in óculis tuis, o Rex, dona mihi pópulum meum, pro quo óbsecro, allelúja.

℣. A periculis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem

Lectio vii Cap. 19, 25-27

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Et réliqua.

Scanné avec CamScanner

Homília sancti Bernardíni Senénsis

Quadragesimale de Christiana Religione, Sermo 51 de Passione Domini, part. 2, art. 1, cap. 3

QUlsántur admiratióne ómnium legéntium sive audiéntium mentes, scílicet quo motu, quo sensu, qua possibilitáte, qua vera auctoritáte, ista dicúntur, quod discípulus tránseat in fílium Vírginis, et Virgo hábeat purum hóminem fílium, quem non génuit; sic nec quod sit fílius ex Vírgine, qui de corrúptis paréntibus natus erat ex sémine. Impossibília quidem vidéntur hæc, sed nihil impossíbile apud Deum. Pietáte quidem et oratióne opus est ad ingrediéndum tale mystérium. Múlier enim beáta Virgo vocátur a Christo, quam numquam appellávit ex vócibus matrem. Múlier, et non múlier; sed super ángelos, et hómines, et mulíeres superexcédens múlier. Accépit a Fílio, quem cum ætérno Patre únicum possidébat, fílium præter ventrem, quem ante in carne habébat ipsa népotem.

℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne, allelúja. ℣. Virgo potens sicut turris David : mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. — Adjútrix.

Lectio viii

SED in quo filiatiónis génere Joánnes Vírginis factus est fílius, aut ejus mater facta est Virgo? Non hoc natúra favet, non concéptus, non partus exséquitur, non ingréssus in úterum ut dénuo nascerétur, non adóptio pro hereditáte in temporálibus consequénda, nec ex imitatióne, aut ex proláta doctrína. Nec ista disserénda erant verbo Christi : nec facta est locútio ut sit quasi, sed sic a Christo légimus dictum : Múlier, ecce fílius tuus; ut, exclúsa omni superfluitáte verbórum, secrétum mystérii penetrémus. Mýstice ígitur intellígimus in Joánne omnes ánimas electórum, quorum per dilectiónem beáta Virgo facta est mater; fílius enim in græco nomen amóris est. Omnis enim Christi amor in amórem Vírginis transit, ut mérito fílius, id est, amor Vírginis nuncupétur, magísque Vírginem hábeat matrem, quam illam, quæ illum ex peccáto damnátum mundo, suscépto sémine generávit.

Scanné avec CamScanner

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno, allelúja. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. — Ut misericórdiam. Glória Patri. Ut misericórdiam.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Feriæ, alias pro S. Angela Mericia, ut in Breviario.

Si autem Lectio ix alicujus Officii commemoratio non fuerit dicenda, erit sequens

Lectio ix

MUtátur hæc matérnitas et filiátio ex auctoritáte verbórum Christi in cruce pendéntis. Proptérea natúra transit in grátiam, et grátia nobílitat profécto natúram; non quod una in álteram commutétur, sed quia natúra ex grátia perfícitur. Mala múlier Heva corruptióne natúræ; bona múlier María, mater grátiæ, mater misericórdiæ. Datur mater grátiæ pro matre natúræ; manet tamen mater natúra, manet étiam mater ex grátia. Erat enim Joánni mater María Salóme in órdine succedéntis natúræ; est étiam sibi mater beáta Virgo in órdine grátiæ. Est mater Heva cunctórum per tradúcem natúræ; est et Virgo María mater ómnium amántium Christum per infusiónem invisíbilis grátiæ.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas, Añæ

1 Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

Psalmi de Dominica 1 loco.

2 In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

3 Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

4 Non pepercísti * ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, allelúja.

5 Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capitulum Is. 55, 1

OMnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto et absque ulla

Scanné avec CamScanner

commutatióne vinum et lac.

Hymnus

MAría, quæ mortálium
Preces amánter éx-
cipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpis ílligant.

Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te juvánte, cónsequi
Perénne detur præmium.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spí-
ritu,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Bened. Ant. Absque tuo império * non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúja.

Oratio

DOmine Jesu Christe, noster, apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis.

Et fit Commem. S. Angelæ Mericiæ Virg. :

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere : ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis.

Deinde, post Commemorationem Feriæ in Feria II Rogationum et in Vigilia

Scanné avec CamScanner

Ascensionis, fit Commemoratio Ss. Cantiani et Soc., Mm. :

Ant. Fíliæ Jerúsalem, veníte et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus, in die solemnitátis et lætítiæ, allelúja, allelúja.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúja. ℟. Mors sanctórum ejus, allelúja.

Oratio

DEus, invisíbilis certántium fortitúdo, adésto, quæsumus, supplicatiónibus nostris : ut qui Cantiáni et sociórum ejus gloriósum recólimus triúmphum; eórum méritis et précibus contra spirituáles nequítias muniámur.

Postea Commem. S. Petronillæ Virg. :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

EXáudi nos, Deus, salutáris noster : ut sicut de beátæ Petronílllæ, Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Ad Horas Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis.

AD PRIMAM

Ant. Benedictiónem * ómnium Géntium dedit illi Dóminus et testaméntum suum confirmávit super caput ejus, allelúja.

In ℟. br. ℣. Qui natus es de María Vírgine.

Ad absolutionem Capituli Lectio brevis Ecce gentem, ut ad Nonam.

AD TERTIAM

Ant. In ætérnum * misericórdia ejus, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúja.

Capitulum Is. 55, 1

OMnes sitiéntes, veníte ad aquas : et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite : veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac.

℟. br. Sub tuum præsídium omnes confúgimus. * Allelúja, allelúja. Sub tuum. ℣. Sancta Dei Génitrix. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Sub tuum.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúja. ℟. In necessitátibus nostris, allelúja.

Scanné avec CamScanner

AD SEXTAM

Ant. Benedícam te * in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

Capitulum Is. 55, 2-3

AUdíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram, et veníte ad me : audíte, et vivet ánima vestra.

℟. br. Nostras deprecatiónes ne despícias. * Allelúja, allelúja. Nostras. ℣. In necessitátibus nostris. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Nostras.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúja. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúja.

Oratio

DOmine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es : concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur : Qui vivis.

AD NONAM

Ant. Recordáre, * Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúja.

Capitulum Is. 55, 5

ECce gentem quam nesciébas, vocábis : et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. br. A perículis cunctis líbera nos semper. * Allelúja, allelúja. A perículis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Allelúja, allelúja. Glória Patri. A perículis.

℣. Eja ergo advocáta nostra, allelúja. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúja.

IN II VESPERIS

Antiphonæ et Capit. de Laudibus, Psalmi et Hymnus ut in Communi Festorum B. Mariæ Virg.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúja. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Salus nostra * in manu tua est; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino, allelúja.

Et fit Commem. sequentis, ac S. Angelæ Mericiæ Virg.

Complet. de Dominica.

Scanné avec CamScanner

FESTA JUNII

Die 1 Junii

S. Probatii

Confessoris Simplex

In II Vesperis B. Mariæ Virg. Omnium Gratiarum Mediatricis fit Commemoratio sequentis :

Ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúja.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúja.

Oratio

DEus, qui nos beáti Probátii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. (Per Dóminum.)

Deinde Commem. S. Angelæ Mericiæ Virginis :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Oratio

DEus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti : da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

In Nocturno

Lectio iii

BEátus Probátius, Confessor Dómini egrégius, omni veneratióne digníssimus, ab ipsis cunábulis exórdium sanctitátis ingréssus, lucubratiónibus contínuis proméruit, ut gradátim dignus invenirétur ecclesiástico órdine; et mérito, quippe qui se totum in templum Dei consecráverit, et ea quæ sunt hujus mundi parvi pendens, totum se cælésti meditatióni mancipáverit. Tandem miles Christi præcípuus, calcáto mirabíliter omni mundáno luxu, custos vasórum sacrórum effícitur et sacerdotáli podére trabeátus. Cum autem miræ sanctitátis odóre et bonórum óperum exuberántia longe latéque ómnia complésset loca, bono certámine peráctο, cursu consummáto, elápsus est de præséntis sæculi ærúmnis, Deo gavisúrus, cujus semper voluntáti parére efficáciter

Scanné avec CamScanner

stúduit. Obiit exeúnte octávo sæculo. Ejus relíquiæ, ante luctuósa Gálliæ témpora in pago Sancti Clodoáldi asservátæ, magno concúrsu fidélium colebántur.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

DEus, qui nos beáti Probátii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Die 3 Junii

S. Clotildis

Viduæ Duplex

IN I VESPERIS

℣. Timébunt reges terræ glóriam tuam, Dómine, allelúja. ℟. Et pópulus qui creábitur, laudábit Dóminum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Tu honorificéntia pópuli nostri : quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, allelúja.

Oratio

REspice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus gentem : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

In II Nocturno

Lectio iv

CLotíldis, Chilpérici regis fília, paréntibus a pátruo Gundobáldo Burgundiónum rege necátis, Clodovéo adhuc éthnico ab ipso Gundobáldo in cónjugem trádita est. Quæ cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovéo, baptizári jussit. Cum autem infántis, cui nomen impósitum fúerat Ingoméres, in albis defúncti mortem ægre ferret Clodovéus, ac baptísmo imputáret, gráviter Clotíldem objurgávit, ásserens deos pátrios, ob contémptum núminis sui irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri

Scanné avec CamScanner

ómnium, grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur adscíre. Alterum fílium regína cum genuísset, hunc quoque baptizári vóluit, et appellátus est Clodoméres. Qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit.

℟. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua, allelúja. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. — Et dedúcet.

Lectio v

AT regína non cessábat hortári virum, ut, abjécta idololátria, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alamánnica inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Rhemos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, advocávit sanctum Remígium, a quo Clodovéus fidem edóctus, baptizátus est, et chrísmate sacro inúnctus. Post mortem Clodovéi, Túrones ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlcrum sancti Martíni summa pietáte réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis alíisque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria.

℟. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : * Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam. — Proptérea.

Lectio vi

CLodoméris in bello Burgúndico occísi fílios, nepótes suos, Theodováldum, Guntárium et Clodoáldum, apud se educávit. Tandem plena diérum, Turónibus migrávit ad Dóminum : et Parísios inter psalléntium choros transláta, sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário régibus, ad latus Clovodéi, in sacrário basílicæ sancti Petri, deínde sanctæ Genovéfæ dictæ, ubi religióse colebátur. Exeúnte vero sæculo décimo octávo, cum ímpii sumpsíssent principátum, et bellum Deo sanctísque ejus fácerent, ossa beátæ regínæ, cum áliis relíquiis, eórum furóri subtrácta, ne violaréntur, igne cremáta sunt. Quorum sacros íne-

Scanné avec CamScanner

res piæ manus collegérunt, deíndeque, transáctis luctuósis tempóribus, deposuérunt Parísiis, in eccléśia parochiáli sanctórum Lupi et Ægídii, in qua nunc honorífice asservántur.

℟. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo : * Múlier timens Deum, ipsa laudábitur, allelúja. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus. — Múlier timens Deum, ipsa laudábitur, allelúja. Glória Patri. Múlier.

In III Nocturno Homilia in Evang. Símile erit regnum cælórum, de Comm. 1 loco.

AD LAUDES

℣. Tu es Deus, qui facis mirabília, allelúja. ℟. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam, allelúja.

Ad Bened. Ant. Cum invocásset Clotíldis * ómnium rectórem et salvatórem Deum, convértit Deus spíritum Clodovéi regis, allelúja.

Oratio

RESpice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus gentem : et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Vesperæ a Capit. de seq., Commem. S. Clotildis :

Ant. Confirmávit omnes húmiles pópuli sui, et legem exquisívit : sancta glorificávit, et multiplicávit vasa sanctórum, allelúja.

℣. Anima mea Dómino vivet, allelúja. ℟. Et semen meum sérviet ipsi, allelúja.

Die 7 Junii

B. Annæ a S. Bartholomæo Virginis

Commemoratio

In II Vesperis S. Norberti fit Commem. B. Annæ :

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum, allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúja. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúja.

Oratio

DEus, qui beátam Annam, Vírginem tuam, exímium humilitátis exémplar effecísti : concéde nobis fámulis tuis; ut illíus vestígia sequéntes, promíssa humílibus præmia cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Scanné avec CamScanner

Lectio iii

ANna a sancto Bartholomæo, in fínibus diœcésis Abulénsis nata, a puerítia ita pietáte flóruit, ut décimo ætátis suæ anno, dum pásceret oves haud semel in éxtasim rapta, præséntia Jesu Christi sub spécie infántis apparéntis recrearétur. Abulæ in monastério Sancti Joseph Carmelitárum Excalceatárum, religióni mancipáta est, ad quam per visiónem se divínitus vocátam prænóverat. Ibíque prima fuit quæ inter láicas soróres allegerétur. Illam etsi rudem atque humiliórem Sancta Terésia labórum suórum, itínerum simul et consiliórum sóciam elégit, fovit, diléxit, et in ejus ulnis recúmbens suávem vitæ efflávit ánimam. In Gálliam evocáta ad Terésiæ institútum propagándum, Anna, nigrum velum, corde invíta, sed dócilis Deo accépit. Pontisáræ monastérium fundávit cui per tres menses præfuit. Quátuor eréctis florentíssimis ascetériis, Parísiis, vidélicet, Pontisáræ, Turónibus, Antuérpiæ, admirábilis constántiæ exémplum dedit, in spíritu Terésiæ matris tuéndo ac confirmándo. Forma facta novi gregis, supernaturálibus donis insígnis, óperum simul et diérum plena, Antuérpiæ, die séptima Júnii, anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti sancto fine quiévit. Illam Benedíctus décimus quintus Póntifex Máximus beatárum vírginum albo adscrípsit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæránti bonas margarítas : invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam, allelúja.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúja. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúja.

Scanné avec CamScanner

INDEX OFFICIORUM

FESTA FEBRUARII

9 S. Ansberti Ep. et Conf., *duplex* 9
16 S. Julianæ Virg. et Mart., *semiduplex* 13
27 vel 28 S. Honorinæ Virg. et Mart., *duplex* 15

FESTA MARTII

14 S. Leobini Ep. et Conf., *semiduplex* 18
20 S. Vulframni Ep. et Conf., *duplex* 21
30 S. Reguli Ep. et Conf., *duplex* 23

FESTA APRILIS

6 S. Gulielmi Abb., *semiduplex* 26
8 S. Galterii Abb., *duplex* 28
9 S. Gaucherii Conf., *duplex* 31
18 B. Mariæ ab Incarnat. Vid., *duplex* 32
30 S. Adjutoris Conf., *duplex* 35

FESTA MAJI

7 S. Maximæ Virg. et Mart., *duplex* 38
8 S. Petri Tarentasii *Commemoratio* 41
11 S. Gulielmi Conf., *semiduplex* 42
14 S. Eremberti Ep. et Conf., *duplex* 44
28 S. Germani Ep. et Conf., *duplex* 47
30 S. Joannæ de Arc Virg., Patronæ minus principal. Galliæ, *duplex II classis* 52
31 B. M. V. Omnium Gratiarum Mediatricis, *duplex majus* — *Commemoratio* Ss. Cantiani et Soc. 62

FESTA JUNII

1 S. Probatii Conf., *simplex* 72
3 S. Clotildis Vid., *duplex* 74
7 B. Annæ a S. Barthol. Virg. *Commemoratio* 76

Scanné avec CamScanner

INDEX LOCORUM

DE QUIBUS FIT MENTIO IN OFFICIIS PROPRIIS

ECCLESIÆ VERSALIENSIS

PARS VERNA

ABBATIS-VILLA, Abbeville (Somme).
ABULA, Avila (Espagne).
ÆDUI, les Eduens (Côte-d'Or, Saône-et-Loire, Nièvre).
ALTA-BRUERIA, le monastère de Haute-Bruyère, paroisse de Saint-Rémy-l'Honoré, c. de Chevreuse (Seine-et-Oise).
ALTIMONTENSE monasterium, l'abbaye de Hautmont, en Hainaut (Belgique).
AMBIANUM, Amiens.
ANDEGAVENSIS, d'Angers, ANDEGAVIA (Maine-et-Loire).
ANTIOCHIA, Antioche, ville d'Asie-Mineure.
ANTUERPIA, Anvers.
ARELATENSIS, d'Arles, ARELATE (Bouches-du-Rhône).
AUGUSTODUNUM, Autun (Saône-et-Loire).
AUGUSTODUNENSIS, d'Autun.
AURELIA, AURELIANUM } Orléans.
AURELIANENSIS, d'Orléans.

BELLIS-VALLIS, l'abbaye de Bellevaux, près de Besançon (Doubs).
BELLOVACENSIS, BELVACENSIS, de Beauvais, BELLOVACUM (Oise).
BELLUS-MONS supra Isaram, Beaumont-sur-Oise (S.-et-O.).
BITURICENSIS, de Bourges.
BLASRUTUM, Blaru, c. de Bonnières (S.-et-O.).
BLASRUENSIS, de Blaru.
BLESENSIS, de Blois, BLESUM (Loir-et-Cher).
BRAIACENSIS, de Braisne, BRAICUM (Oise).
BRAUNATE IN BRIGEIO, Brunoy-en-Brie, c. de Villeneuve-Saint-Georges (Seine-et-Oise).

Scanné avec CamScanner

BRIGEIUS ou BRIEGIUS, la Brie (Seine-et-Oise, Seine-et-Marne, Aisne, Marne et Aube).
BURGUNDI, les Bourguignons.

CAMBORCIACUM, Chambourcy, c. de S. Germain-en-Laye (Seine-et-Oise).
CANTUARIA, Cantorbéry.
CANTUARIENSIS, de Cantorbéry (Angleterre).
CAPROSIA, Chevreuse (S.-et-O.).
CARNUTENSIS, de Chartres, CARNUTUM (Eure-et-Loir).
CASTILLÆ, Castille, lieu dit, dans la région de Dourdan.
CASTRUM CAINONENSE, Chinon (Indre-et-Loire).
CELLÆ, Chelles (Seine-et-Marne).
CLODOALDUS (Sanctus), Saint-Cloud (Seine-et-Oise).
CLUNIACENSIS, de Cluny, CLUNIACUM (Saône-et-Loire).
COMPENDIUM, Compiègne (Oise).
CONFLUENTIANUM, Conflans-Sainte-Honorine (S.-et-O.).
CORBOLIUM, Corbeil (Seine-et-Oise).

DELPHINATUS, du Dauphiné, anc. prov. de France.
DEODATUS (SANCTUS), Saint-Dié (Vosges).
DOMREMENSI, Domrémy, arr. de Neufchâteau (Vosges).
DUNENSIS, le Dunois (Beauce).
DURDANENSIS, de Dourdan, DURDANUM (S.-et-O.).

FILLIACUM-CORTIS, Feuillancourt, hameau de Saint-Germain-en-Laye (Seine-et-Oise).
FONTANELLÆ MONASTERIUM, l'abbaye de Fontenelle ou de Saint-Wandrille, c. de Caudebec (Seine-Inférieure).
FRISII, les Frisons, habitants de la Frise (Hollande et Prusse rhénane).
FRISIA, la Frise.

GENOVEFA AD MONTEM (SANCTA), Sainte-Geneviève-du-Mont (église de) à Paris.
GERARDI-VILLA, Graville-Sainte-Honorine (Seine-Inférieure).
GERMANUS IN LIDA (SANCTUS), Saint-Germain-en-Laye (S.-et-O.).
GERMANI MONASTERIUM (SANCTI), l'abbaye de Saint-Germain-des-Prés à Paris.
GRANDIS-MONS, l'abbaye de Grandmont, en Limousin.
GRANDISMONTENSIS, de Grandmont.

HEDERA, Yerres, c. de Villeneuve-Saint-Georges (S.-et-O.).
HISPANIA, l'Espagne.

INSULA-BARBARA, l'Ile-Barbe, près Lyon (Rhône).
ISARA, l'Oise.

LEMOVIX, Lemovicum, Limoges (Haute-Vienne).
LIRINUM, de Lérins, Iles de la Méditerranée.

Scanné avec CamScanner

LUGDUNUM, Lyon.
LONGUS-CAMPUS, Longchamps, près de Paris.
LUPARA-PARISIORUM } Louvres-en-Parisis, c. de Luzarches (Seine-
LUVERA } et-Oise).

MARTINUS-IN-VALLE (SANCTUS), Saint-Martin-en-Vallée, près de Chartres (Eure-et-Loir).
MAURILIACUM, Milly (S.-et-O.).
MATISCONENSIS, de Mâcon (Saône-et-Loire).
MAXIMA (SANCTA), Sainte-Mesme, c. de Dourdan (S.-et-O.).
MELDENSIS, de Meaux, MELDI (Seine-et-Marne).
MELLENTUM, Meulan (S.-et-O.).
MELODUNUM, Melun (Seine-et-Marne).
MELODUNENSIS, de Melun.
MONS-MORENCIACUS, Montmorency (S.-et-O.).

PALESTINA, la Palestine.
PERTICUM, le Perche.
PICTAVI, peuple d'Aquitaine (hab. le Poitou).
PICTAVIUM, Poitiers (Vienne).
PONTISARA, Pontoise (S.-et-O.).

QUINTIANUM, Quincy, c. de Villeneuve-Saint-Georges (S.-et-O.).

REMI, RHEMI, Reims.
REMENSIS, de Reims.
RHOTOMAGUS, Rouen.
RIGGILUM, RIOLIUM, Rueil, c. de Marly-le-Roi (S.-et-O.).

SAVARA, Sèvres (S.-et-O.).
SENONENSIS, de Sens, SENONES, (Yonne).
SILVANECTA, SILVANECTUM, Senlis (Oise).
SPEDONA, SPEDONETO-VILLA, Epône, c. de Mantes (S.-et-O.).
SPINOLIUM prope BRAUNATEM, Epinay-sous-Sénart, près de Brunoy, c. de Villeneuve-Saint-Georges (S.-et-O.).
STAMPÆ, Étampes (S.-et-O.).

TAMIENSE CŒNOBIUM, l'abbaye de Tamié, en Savoie.
TARANTASIANUS, de Tarantaise, auj. Moutiers (Savoie).
TIRO, abbaye de Tiron, à 4 kil. est de Nogent-le-Rotrou (E.-et-L.).
TIRONENSIS, de Tiron.
TOLOSA, Toulouse.
TULLENSIS, de Toul (Meurthe-et-Moselle).
TULLUM, Toul.
TURONES, Tours.
TURONICUS, de Tours.

VALLIS-SANCTI-GERMANI, le-Val-Saint-Germain, c. de Dourdan-(S.-et-O.).

Scanné avec CamScanner

VALLIS-COLORUM, Vaucouleurs, chef-lieu de canton, arrond. de Commercy (Meuse).
VASTINENSIS AGER, le Gâtinais (Seine-et-Oise, Seine-et-Marne et Loiret).
VERNO, Vernon (Eure).
VICUS NOVUS, Vigneux, c. de Villeneuve-Saint-Georges (S.-et-O.).
VIMACENSIS PAGUS, le Vimeux (Picardie, Somme).

Imprimé en Belgique par la Société S. Jean l'Évangéliste
DESCLÉE & Cie, Tournai.

Scanné avec CamScanner